Q. D. B. V.

DISSERTATIO IVRIS FEVDALIS,

DE

LEGITIMA EX FEVDO PETENDA

QVAM

PERMITTENTE MAGNIFICO ICTORVM ORDINE

PRO LOCO

IN EO RITE OBTINENDO

D. XXIII. MART. A. O. R. MDCCLII.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

SVBMITTET

D. IO. GOTTLIEB SIEGEL,

TITVLORVM DE VERB. SIGNIFICAT. ET REGVL. IVR. PROF. PVBL. ORDIN. ACADEM. SYNDIC.

RESPONSVRO A MERIDIE


FRIDERICO AVGVSTO LINDEMANN,

DRESD.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.







§. I.

Legitimam Ius Ciuile agnoscere, et ornare, dubio caret, licet inter Dd non constet, qua lege illa introducta fuerit. CVIACIVS [a]) autumat, legitimam Legi Gliciae natales suos debere, prouocans ad inscriptionem *L. 4. ff. de inoffic. testam.* ita se habentem: *Caius libr. singulari ad Legem Gliciam.* Aliis placuit, ex constitutionibus Principum legitimam ducere originem. [b]) Alii ad legem Falcidiam recurrere, eamque legitimae parentem constituere, maluerunt. [c]) B. SCHVBERTH amicus noster, dum in viuis erat, amantissimus, *Origo legitimae incerta est.*

 tutissi-

a) *Tom. 1. oper. posth. in lib. XIV. Quaest. Papin. p. m. 374.* verb. *Probabilius est, querelam esse ex L. Glicia, ac similiter quartam legitimae, quae excludit querelam, eam esse ex L. Glicia, Lex fuit forte ita concepta: querelam dari liberis, nisi eis satisfactum sit data quarta. Et hanc quartam non esse ex constitutione D. Marci.*

b) VVLTEI. *ad pr. Inst. de SCt. Orphil. n. 1.* DVAREN. *ad ff. lib. 5. t. 2. c. 2.*

c) SCHVLTING *ad Paul. recept. Sent. lib. 3. t. 8. n. 9.*

tutiſſimam opinionem, qua legitimae ortus alteri Iuris Romani ſpeciei, diſputationi fori, et interpretationi Prudentum adſcribitur, vocat. [d])

§. II.

Germanorum LL. legitimam ignorant.

Germanorum è contrario LL. paucis exceptis, legitimam compertam non habent. Cuius aſſertionis fundamentum non inde peto, quod teſtamenta Germanis teſte TACITO [e]) olim incognita fuerint, itaque occaſionem, de legitima agendi, Iuri Germanico defuiſſe, concluſio formanda; ſiquidem legitima concipi poteſt, quamuis vltima voluntas ignoretur, dum notio in portione certa bonorum quibusdam perſonis neceſſario relinquenda conſiſtit; adeoque quod ſuper iſtam portionem in bonis eſt, actibus inter viuos alteri tribui poteſt. Hinc prono alueo quidem fluit, quod legitima in perſona eius, ex cuius bonis petitur, ius diſponendi, et etiam illius vſum in tantum ſupponat, vt v. c. Pater donatione patrimonii vires minuens, ſoboli ad auxilium legis de legitima cauentis, confugiendi, det anſam, neutiquam autem neceſſe ſit, legitimam relinquere obſtrictum, vltima voluntate bona ſua tranſtuliſſe, indeque legitima gaudentibus ad hanc prouocandi, cauſam enaſci.

Legitima ſtatui poteſt, licet vltimae voluntates non ſint in vſu.

§. III.

Ratio demonſtratur, cur LL. Germanicae de legitima ſileant?

Fundamento reprobato verum ſuccedit. Pleraeque Leges antiquiores Germanicae, vel filias plane non admittunt, vel non niſi deficientibus fratribus, vel ſaltim ad immobilia non vocant. [a]) Ex quibus argumentum nunc recte

d) in *Diſſert. de vendit. inoffic.* §. 1.

e) *Mor. Germ. c. XX. Heredes, ſucceſſoreſque ſui cuique liberi: nullum teſtamentum. Si liberi non ſunt: proximus gradus in ſucceſſione fratres, patrui, auunculi.*

a) B. HEINECCIVS *in Elem. Iur. Germ. Tom. I. lib. II. Tit. IX.* §. *CCXIX.*

cte componitur: Si filiae vi plurium Legum Germanicarum vel plane non ad bona parentum, vel non nisi deficientibus fratribus, vel saltem ad mobilia adspirant, sequitur omnino, quod Leges Germanicae legitimam filiarum ignorent. Inter filios antiqua Germaniae iura aequalitatem obseruarunt, et Parentes quoque ad luctuosam liberorum hereditatem aequali modo admiserunt. Aliud certa ratione in LL. Wisigothorum legitur, quae tertiam bonorum partem, itemque dotis maternae quartam partem liberis tanquam legitimam tribuunt. vid. *Lib. IV. Tit. V. §. 1.* verb. *vt super tertiam partem rerum suarum* et §. II. verb. *non amplius, quam de quarta parte, potestatem habeat.* Pariter in LL. Langobardorum de legitima agitur vid. ROTHARIS *Leges cap. CLXVIII.* quod haec tradit: *nulli liceat sine certa culpa filium suum exheredare, nec quod ei debetur per legem, alii thingare.*

In LL. Wisigothorum de legitima agitur,

pariter et Langobardorum.

§. IV.

Speculum Saxonicum rationem naturalem sequens *Lib. I. Art. XIV.* inaequalitatem inter filios prohibet, et collationem antea acceptorum iniungit, indeque patris voluntatem eo tendentem, vt feudum filio refutatum, in computationem et diuisionem hereditatis non veniat, sed tanquam praecipuum vni filio assignatum, consideretur, iniustam declarat. Verba articuli sic sonant: **Wann es auch gleich Lehn-Rechtens ist, daß der Herr nicht mehr denn einem Sohn das väterliche Lehn verlenhet, so ist es doch nicht dem Land-Recht gemäß, daß dieser es alleine behalte, woferne er nicht seinen Brüdern, so viel eines ieden Theil daran beträgt, erstattet. Also ist es auch nicht Land-Rechtens, ob der Vater einem Sohne sein Lehn abtritt, und es ihm zugleich aufläßt, daß dieser nach seines Vaters Todte es zu voraus behalte, und in den übrigen Lehen gleichen Theil mit seinen Brü-**

Speculum Saxonicum inaequalitatem inter filios prohibet.

dern nehme; Und ob sie ihm solches gleich nach Lehn-Rechte nicht verweigern könten, so ist es doch nicht Länd-Rechtens, dahero klagen sie über ihn zu Land-Rechte, so zwingen sie ihn daselbst wohl mit Urtheilen zu richtiger Theilung. Quum autem hic locus ab omni dubio non vindicatus, operae pretium erit, verum ipsius sensum demonstrare, demonstratumque defendere. Ius Feudale Saxonicum commune filium non obstringit, feudum et allodium vna retinere, aut vtrumque repudiare, sed aliam successionem in feudo, aliam in allodio agnoscit, prout ex ipso textu allegato, et *Lib. II. art. XXI. in fin.* satis apparet. Quo ipso Ius Feudale Saxonicum commune à Iuris Feudalis Longobardici placitis differt, quippe quae *II. F. 45.* filium iuris, feudum ab allodio separandi, exulem faciunt. Quum itaque Ius Feudale Saxonicum filio permittat, in Feudo Patris succedere, et allodium repudiare, commemoratus *Art. XIV.* ita intelligendus, vt filius, cui pater feudum refutauit, huic in allodio quoque successerit, et eo ipso ad collationem se obstrinxerit. Aliud omnino sentiendum, si filius, cui feudum refutatum, paternae hereditati renunciaret, dum ita onus collationis cessaret. Neque explicationi alleg. Art. contrariatur, quod collatio solum habeat locum in bonis actibus inter viuos à parentibus acceptis *l. 7. C. de collat.* refutatio autem feudi anticipata successio habenda *II. F. 14.* itaque feudum à patre filio refutatum, ad obiectum collationis non trahendum, siquidem non omnes Iuris Beneficiarii interpretes huic opinioni accedunt, potius quidam [a]) text. allatum de casu quodam excepto capiunt, statuentes, in regula refutationem ad alienationem inter viuos referri. Dein Ius Feudale Germanicum refutationi anticipatam successionem

Explicatur Iur. Prouinc. Saxon. lib. I. Art. XIV.

Ius Feudale Germanicum

nem

a) Inter quos nominare sufficit SCHILTER. *in Comment. ad Ius. Alem. c. LXX.*

nem minime inesse, docet Ius Feudale Alemannicum, *cap.* *68.* sequentem in modum disponens: Gibt ein Mann sein Gut seinem Herrn auf, und bitt es seinen Sohn zu leihen, das heißt nicht Erb-Lehen, wann daß dem Menschen anstirbt. Wer sein Erb-Lehn aufgiebt und es anderwerb empfacht, darnach heißt es nicht Erb-Lehn. Vox: Erb-Lehn hic non denotat feudum hereditarium, sed antiquum, prout et latina versio id satis innuit, dum verba leguntur: *Si Vasallus Domino feudum refutat, petens vt filio suo id conferat, non manet feudum paternum, nec enim paternum est, nisi quod successione defertur.* Quemadmodum igitur mens *cap. 68. Iur. Feud. Alem.* est: feudum à patre in gratiam filii refutatum, nouum fit; ita extra omnem dubitationis aleam positum, refutationem feudi anticipatam successionem non continere, quippe qua feudum vetus constituitur *II. F. 1. in fin.*

refutationem pro successione anticipata non habet.

§. V.

In Speculo Sueuico vestigia legitimae ocurrere videntur, cuius rei fundamentum non inde duco, quia passim in Speculo Sueuico verba reperiuntur: ieder Seele ihren Theil[a]), porro: und der Seele ihren Theil, dum hae locutiones ad portionem quandam, quam heredes pro defuncti animae salute et remedio praestare, olim obstricti erant, respiciunt *Cap. 286.* rem satis illustrat, quando disponit: Und stirbet ein Mann, der weder Weib noch Kind hat, und hat er fahrend Guth gelassen, und hat darmit nicht geschaffet,

In Speculo Sueuico vestigia legitimae occurrunt.
Explicantur verba: ieder Seele ihren Theil.

a) Quae portio circa homines proprios in quarta parte consistit *cap. 287.* verb. und soll der Seel den vierten Theil geben; cuius diuisio in verbis subsequentibus: dem Pfarr-Herr das ein theil, das ander soll man unter armen Leuth theilen, das dritt soll man geben armen Bilgern, die über Meer fahren zu Steuer, traditur.

schaffet, das erben die nächsten Erben, der sey einer oder mehr, und ieder Seele soll man geben ihren Theil. Pariter *cap. sequ. 287.* huc pertinet in verb. und liegt ein Mann an seinen Todbeth, und hat weder Weib noch Kind, hat er fahrend Guth, das giebt er wem er will, und der Seele ihren Theil. Prouoco itaque ad alium locum Speculi Sueuici, vbi portionis cuiusdam necessario relinquendae mentio iniicitur, videlicet ad *cap. 283.* eiusque verba: Und will ein Mann sein fahrendes Gut theilen unter Weiber und unter Kinder, dieweil er sich vermag, so giebt er mit recht einem mehr, denn den andern, also, daß er mag einen zwyrend als viel geben, als dem andern, und darüber nit. Quae satis indicant, patris arbitrium, bona sua mobilia inter liberos diuidendi, certis limitibus ita circumscriptum esse, vt si pater v. c. octingentos thaleros in bonis habeat, et duobus liberis instructus sit, vni necessario ducentos relinquere debeat. Quod similitudinem cum legitima, in quarta parte olim consistente, inuoluit. Si quis autem regerat, compilatorem Speculi Sueuici commemorato loco, non mores Germanorum, sed ex Iure Ciuili quoddam tradere, me non valde dissentientem habebit, quum pluribus locis Speculum Sueuicum Iure Ciuili ornatum, [a]) et in ipso nostro cacapite ad *cap. 252.* fit prouocatio, quod ex *Nou. CXV. c. 3.* desumtum.

§. VI.

Hodie in Germania legitima inter res notissimas refertur.

Quamuis igitur ex Iure Germanico legitima non semper defendi possit, in Germania tamen inter res notissimas haud dubie refertur. Et quum ex Iure Imperii Vniuersali, Romano

a) Vnum sufficiat allegare. *In Cap. 325.* legitur: aber ein Meister heißet Adrianus, der des Land-Rechts viel gemacht hat, der spricht also ꝛc. quamuis satis ridiculus sit.

Romano sc. ortum trahat, inde primo intuitu fluere videtur, quod etiam inter Status Imperii vsus legitimae sibi vindicet locum, quod et plures defendunt, conclusionem subiicientes, quod in Iure primogeniturae introducendo, secundogenitis ratione legitimae sit prospiciendum [b]). Hanc opinionem quoque corroborare videntur duo conclusa Iudicii Imperialis Aulici; [c]) quorum vnum huius est tenoris:

Quaestio proponitur: an inter status Imperii vsus legitimae locum sibi vindicet? Quidam affirmant, et eius rationem in iure primogeniturae introducendo habent.

Veneris 16. Iul. 1717.

Von Hohenlohe Graf Carl Ludwig per Würtz. sub praes. 13. huius, exponendo, wie daß er bey seinen Descendenten das Ius Primogeniturae einzuführen entschlossen sey, bittet allerunterthänigst, ihme die Kayserliche Confirmation allergnädigst zu ertheilen, apponit eine Beylag.

Fiat Commissio auf die beyden Grafen zu Hohenlohe-Schillings-Fürst, und Hohenlohe-Pfedelbach, et rescribatur eisdem cum inclusione exhibiti, **die *Facultates* des *supplici*renden Grafens, und ob denen *Postgenitis* an der ihnen zuständigen *legitima* durch diese *disposition* kein *praeiudiz.* zugefüget seye? genau zu untersuchen,** und so dann ihre umständliche Relation an Ihro Kayserliche Maiestaet allerunterthänigst zu erstatten.

Alterum autem ita conceptum:

Martis 19. Sept. 1730.

Hohenlohe-Bartenstein und Pfedelbach, Grafen und Gebrüder, contra ihren ältern Bruder, Grafen Carl Philipp zu Hohenlohe-Bartenstein, in puncto Corregiminis, et Condominii, item resp. Primogeniturae

etc. 4.

b) RHETIVS *in Instit. Iur. publ. Lib. 2. Tit. 40. §. 1.* MYNSINGER *cent. VI. obseruat. XLIV,* GAIL. *lib 2. obs. 119.*

c) Exhibuit Illustr. MOSER. *in dissert. de legitima S. R. I. statuum liber. p. 10. sequ.*

etc. 4. Fiat ex officio Commissio auf den Herrn Bischoffen zu Bamberg und Würtzburg et - - - rescribatur eidem - - - zuförderst zwischen denen sämtlichen Brüdern, als so nahen Anverwandten, durch sein Ansehen und nachdrücklichen Zuspruch, einen gütlichen Vergleich auf alle Weise versuchen, in deßen Entstehung aber sumptibus vtriusque partis, iedoch mit möglichster Ersparung der Unkosten, die ganze Sache, absonderlich den punctum Primogeniturae mit Inspicirung des väterlichen Original-Testamenti et Codicilli, auch resp. derer Original-Pactorum Familiae, so dann *Examini*rung der jährlichen sämtlichen Einkünffte, und der allenfalls daraus zu beurtheilenden *legitimae* recht gründlich untersuchen, zu dem Ende die Partheyen, und resp. deren Curatoren mit ihren fundamentis pro et contra ad Protocollum vernehmen, auch sodann seinen Umständlichen Bericht, mit einschliessung des Commissions-Protocolli, nebst einen standhafften räthlichen Gutachten, auf was Art und Weise deßen uralte gräfliche Familie und Linie von Hohenlohe-Bartenstein und Pfedelbach, am besten und sichersten aufrecht erhalten, auch wieviel allenfalls denen jüngern Brüdern pro Appanagiis ausgeworffen werden könne? an Ihro Kayserl. Majestaet innerhalb zwey Monathen gehorsamst erstatten möge.

Pariter istam adiuuat Clausula Diplomati Imp. Leopoldi de ao. 1688. ob ius primogeniturae in Domo Saxo-Gothana introductum, exhibito, inserta: So haben wir mit wohlbedachten Muth, guten Rath und rechten Wissen, zumahlen auch auf die vor sein, Hertzogs Friedrichs Liebden, jüngern und noch unmündigen Sohns Prinzens Johann Wilhelm zu Sachsen, hierzu benannten Assistenten, und nächsten Bluts-Verwandten, benanntlich denen hochgebohrnen Albrecht und Hein-

Heinrich, beyde Herzoge zu Sachsen ꝛc. ꝛc. ꝛc. Unsern lieben Oheimen und Fürsten bey ihren fürstlichen wahren Worten, treu und Glauben auf Unser gnädigstes Begehren eingeschickte Berichte und Attestata, (daß nehmlich durch obinserirte Primogenitur-Disposition und die darinn verordnete Apanagia und Deputata gedachten jüngern Prinzen Johann Willhelm, : : : : noch auch denen ferner folgenden jüngern Söhnen, da GOtt deren mehr bescherete, nicht zu kurz geschehe, sondern ihnen vielmehr ein Erkleckliches zu geordnet und zugedacht seye, als ieder nach *Proportion* derer Lande und derer Gefälle, worauf bey Erb-Vertheilungen in diesen Fürstlichen Hause *reflectiret* zu werden pflegt, nach Abzug derer obliegenden *onerum*, zur *legitima* zugewarten haben mögte,) ob einverleibte Disposition und darinn verordnetes Ius Primogeniturae und was deme mehr anhängig, als iezt regierender Römischer Kayser gnädigst confirmiret, approbiret, und bestätiget

§. VII.

Alii rectius sentiunt, Status Imperii in hoc passu Ius Ciuile ita non tenere, vt legitimam liberis relinquere sint obstricti, potius libero gaudere arbitrio, inter liberos disponendi, et legitimam minuendi. [a]) Vnde coniicio, quod Statu Imperii vltimam voluntatem condente, non praecise liberos in legitima titulo institutionis honorabili instituendi, neque in introducendo Iure primogeniturae secundo genitis de legitima prospiciendi, adsit necessitas. [b]) Fundamentum *Rectius alii negant.*

 huius

a) B. GRIBNER. *de Praeiudic. Princip. Imp. ex abusu Iur. Iustin. c. 2. §. 13. not. 6.* de COCCEI *in Iur publ. prud. cap. 27. §. 13.* SPRINGSFELD *de appanagio c. 12. n. 17.*

b) Hanc opinionem defendit etiam Facultas Iuridica Witebergens. in Responsf. quod HORNIVS Iurisprudentiae suae Feudali sub n. XII. subiecit.

Ob obseruantiam Imperii

huius assertionis ex obseruantia Imperii deriuatur. c) In qua probanda varia testamenta et dispositiones Statuum Imperii, in quibus vel legitima disertis verbis diminuta, vel expresse cautum est, ne ad supplementum legitimae postgeniti prouocent, adducuntur, quae praeuia causae cognitione ab Imperatore approbata, vel alias in obseruantiam sunt deducta. Eo trahenda tabula vltimae voluntatis Iulii Ducis Brunsuicensis de ao. 1582. in verb. Auf das auch Unsere andere mittler und jüngere Söhne, wie gemelt, sich umb so viel beßer zu erhalten, und Ihr Fürstl. Auskommen haben mögen, so soll Unser Aeltester Sohn und Regierender Hertzog Heinrich Julius I. I. L. L. = = = nach Gelegenheit, mit Rath und That Unserer hernachverordneten Testamentarien und der fürnehmsten Land-Räthen, entweder mit gewißen Herrschafften, Schlößern und Aemtern Unsers Fürstenthums, zu I. L. da Sie bey dem Regierenden Bruder zu Hofe nicht länger seyn, und Sich verhalten wollen, Uffenhalt und wesentlich Residenz versehen, die Ihnen übergeben, und anweisen, oder aber I. I. L. L. ein umb so viel ansehnlicher Stück-Geldes an jährlichen gewißen stehenden Renten, und Hebung übermachen, wie Ihn denn Unsere gehorsame Landschafft, nach iedermahliger Gelegenheit und Anweisung des obberwehnten 32. jährigen Vertrages, im Besten mit einzurathen wißen wird; Wir auch vermittelst Göttlicher Verleihung, hiernächst selbst, wie in dem uf alle Fälle, als da es mit Unsern Braunschweigischen Fürstenthum bey diesen iezigen gegenwertigen Stande bleiben, oder auch nach GOttes Willen etwas mehr am Erbe gegen den regierenden Bruder anfallen, und zugehen würde, gehalten werden solle, weitere Verordnung zu machen, entschloßen seyn, also, daß ein ieder Unser Sohn seine ziemliche *legitimam, si non totam,*

c) Hanc testatur Illustr. MOSER *c. l. p. 3.*

tam, *tamen diminutam* bekommen möge, wie das für das gelegenste und erträglichste sonsten angesehen wird. Quae dispositio teste Illustri MOSER. *c. l. p. 4.* eodem anno firmata est ab Imp. Rudolfo II. in omnibus punctis, clausulis et articulis. Plures dispositiones Statuum Imperii obseruantiam commemoratam Imperii probantes, pariter communicauit Illustr. MOSER. *in alleg. dissert.* Quibus conclusa Iudicii Imperialis Aulici §. VI. exhibita non derogant, mandant enim solummodo, vt in inquisitione in facultates, legitimae ratio habeatur.

§. VIII.

Stryckii distinctio, an Primogenitura iam ex antiquo, introducta, an nouiter introducenda, examinatur,

STRYCK. *in Dissert. de Casib. circa legitimam controuers. Cas. I.* mediante distinctione, an sc. primogenitura iam ex antiquo, puta prouisione maiorum, vel Lege publica, sicuti *A. B. Tit. XX.* §. 2. *et 3.* circa Electoratus disponit, introducta, an nouiter introducenda, litem istam componere allaborat. Prioribus casibus autumat, secundo genitis legitimam petendi, ius non esse, posteriori vero patrem suo facto liberis secundogenitis vlterius praeiudicium inferre non posse, quam vsque ad legitimam. Verum enim vero, quum obseruantia Imperii iuxta tradita in §. antecedenti, Status Imperii à necessitate, legitimam liberis relinquendi, absoluat, non video, qua ratione secundo genitus, si pater nouiter ius primogeniturae introducens, in determinatione appanagii legitimam minuat, huius voluntati contradicere queat. Et ratio, quae ex mente STRYCKII secundogenitos tenet, dum ius primogeniturae cum minutione legitimae, prouisione maiorum introductum, locum sibi quoque vindicat, quando Ius primogeniturae, extantibus secundogenitis, introducitur. Ita enim argumentum componitur: Si secundogenitus contentus esse debeat appanagio legitima inferiori, quod auus, proauus, eius determinauerit, sequitur, quod etiam secundogenitus illius patris, qui nouiter ius primogeniturae introdu-

et reiicitur.

 xerit,

xerit, debeat acquiescere in appanagio legitimam non attingente. Nepos, pronepos enim appanagium legitimam minuens, inde agnoscere obstringitur, quia filius aui, proaui, primogenituram introducentis, in ipsius voluntate acquiescere debuit. E. et vlteriores descendentes declarationi maiorum, morem gerere obligantur. En igitur rationem claram, et perspicuam, cur secundogenitus circa primogeniturae introductionem à patre factam, nihil regerere queat. Illustr. MOSERI confutationi argumenti STRYCKIANI, omni ex parte non accedo, fallit, inquit *p. 16.* in feudis ex pacto et prouidentia maiorum, siue gentilitiis ratio, quod nati demum post ius primogeniturae iam constitutum, melius ius praetendere nequeant, quum idem iuris habeant, quod habuerit primus acquirens. His verbis MOSER asserere videtur, quod ius in feudo ex pacto et prouidentia sit immutabile, hoc sensu: quali iure primus acquirens gauisus est, eo etiam gaudere debent, omnes sanguinem ab eo trahentes. Sed considerandum, feudum ex pacto et prouidentia, aliam assumere naturam, dum à parente ad filios transmittitur, fit enim hereditarium ipso iure, ideoque sine omni dubio patri potestas competit, de tali feudo inter filios disponendi, et ius, quod penes primum acquirentem fuit, minuendi. Quo ipso et MOSER à recto tramite deflectit, quando patri facultatem, de feudo inter liberos disponendi, adimit. *Text. II. F. 8.* ad quem prouocat, de casu agit, vbi Vasallus in praeiudicium agnati, de feudo testari cupit.

§. IX.

Contingere potest, vt legitima ex feudo Imperii petatur.

Licet itaque Status Imperii circa legitimam liberorum alio iure, quam in LL. Romanis dispositum, vtantur, casus tamen euenire potest, vbi ex Feudo Imperii legitima petitur, liberi enim Statuum Imperii non ipso iure legitima priuantur, sed voluntate Patrum. Quando igitur Ius primogeniturae non introductum, nec Patris dispositio legitimae prae-

praeiudicium inferens extat, apparent autem requisita ad legitimam ex feudo petendam necessaria, quae in subsequentibus expositurus sum, nullum est dubium, quin liberis Statuum ex feudo Imperii pariter debeatur legitima.

§. X.

Vt autem debito ordine procedam, de definitione legitimae ex feudo petendae, ante omnia sollicitus sim, necesse est. Ex mente COCCEII *in Iur. Controu. ad lib. XXXIX. Tit. V. qu. IX. §. X.* nostra legitima ita definienda: est portio portionis tempore feudi inofficiose quaesiti debitae, COCCEII enim *l. c.* notionem legitimae ob donationem inofficiosam debitae, sic format: est portio portionis tempore donationis debitae. COCCEII fundamentum suae definitionis ex *Nou. XCII. c. 1.* verb. *Vt si quis donationem immensam in aliquem, aut aliquos filiorum fecerit, necessarium habeat, in distributione hereditatis, tantam vnicuique filiorum seruare ex lege partem, quanta fuit, priusquam donationem pater in filium, aut filios, quos ea bonorauit, faceret,* petit. Verum regerendum puto, quod in computanda legitima ad tempus v. c. donationis vna quidem respiciendum, vt quantitatis donatae ratio habeatur, sed hoc non sufficit, potius etiam tempus mortis patris considerandum, hoc enim docet, an laesio legitimae reuera contigerit, quod et *Nou. cit.* verb. *in tantum autem aucta quantitate,* legitur. Inde vero non sequitur, tempore donationis immensae legitimam quoque deberi, viuentis non est legitima, post obitum patris legitima demum peti potest. *l. 31. C. de inoffic. testam.*

Legitima ex feudo petenda definitur ex mente Coccei.

verum non approbatus.

§. XI.

Aliam igitur substituo definitionem, videlicet est portio portionis lege debitae ex feudo, cuius acquisitione aut concessione maxima pars patrimonii consumta, petenda. Explanationem huius definitionis sequentes §. §. suppeditabunt.

Nostra definitio.

Duo sunt casus, vbi ex feudo legitima debetur, verum sub definitione non comprehenduntur.

bunt. Hoc in antecessum moneo, me definitionem ad casum, vbi pater possidens feudum in vltima sua voluntate vni ex filiis feudum tribuit, et alterum saltem in legitima heredem facit, non trahere, licet nullum dubium sit, quin ex feudo tunc debeatur legitima, videlicet feudum a patre ad filios transmissum naturam feudi hereditarii assumit, proin feudum et allodium vnam constituunt massam, ex qua legitima computatur, et praestatur. Pariter nec is casus sub definitione comprehenditur, quando filius a Domino alioue, cui pater feudum refutauit, post obitum huius legitimam saluam non relinquentis, petit. Duobus his casibus feudum inofficiose quaesitum non est, proinde et definitionis applicatio cessat.

§. XII.

In Iure Feudali Germanico et Langobardico non occurrit fundamentum, vnde legitima ex feudo peti queat.

Legitima et alimenta differunt.

In Iure Feudali Germanico et Langobardico dispositio legitimam ex feudo petendam stabiliens, non occurrit, quod *I. F. 6.* traditur, vestigia legitimae non continet, sed iubet Dominum, muto, qui feudum retinere non potest, alimenta praestare; inter alimenta autem et legitimam apparent discrimina indubitata; ea debentur et liberis illegtimis, haec est propria legitimis tantum. [a]) Ad ea vnus saltem ex parentibus obstrictus, hanc omnes ascendentes debent. Illorum quantitas non est determinata, bene tamen huius. Obligatio alendi est subsidiaria, si nempe liberi se ipsos exhibere non valeant, legitimam petunt et liberi opibus non exiguis instructi. Ius Saxonicum Electorale disertis verbis legitimam ex feudo petendam approbat; integra *Constit. ined. II.* de ista agit.

In Saxonia Electorali legitima ex feudo petenda diserte approbatur.

§. XIII.

Fundamentum praecipuum indica-

Licet igitur in Iure beneficiario Germanico et Langobardico altum de legitima ex feudo petenda, sit silentium; adsunt

a) Limitationem vid. infra §. *XXIX.*

adſunt tamen idonea argumenta, quae legitimam ex feudo petendam optime defendunt. Notum, imò notiſſimum eſt Principium Iuris Feudalis: in ſubſidium ad Ius Ciuile recurrendum, quod ipſe Feudiſta *II. F. 1.* agnoſcit. Vſus huius Regulae quemadmodum toties quoties in Iure Feudali ſe exerit; ita et habita ratione ad legitimam omni dubio caret. Quum itaque Iure Ciuili poſt obitum patris liberis, et obitum filii parentibus legitima neceſſario relinquenda, et ius intuitu legitimae competens, tam ratum, firmumque ſit, vt non niſi liberorum et parentum factis infringi queat, indeque actus in praeiudicium huius legitimae tendentes, hanc petenti cum effectu obiici nequeant, cum fundamento aſſero, legitimam exigi poſſe, ſi parens, vel filius feudi acquiſitione, vel conceſſione ipſi praeiudicium intulerit. Plures rationes intentionem filiarum legitimam ex feudo petentium adiuuantes, ſtudioſe collegit, HARTMANN PISTORIS *lib. II. qu. XXXVIII. n. 63. ſeqq.*

...tur, cur legitima ex feudo peti poteſt.

§. XIV.

Dubium praecipuum, quod contra theſin demonſtratam obiicitur, ſic ſe habet: legitima eſt portio bonorum ab inteſtato debita. In quibus bonis igitur non ſucceditur, nec ſuccedi poteſt, ex illis nec debetur legitima. In feudis non ſuccedunt defuncti Vaſalli filiae *II. F. 36. 50.* vel aſcendentes *II. F. 50.* hinc concluſio, quod ex feudo Vaſalli obeuntis neque filiae, neque parentes legitimam petendi, gaudeant iure, nulli dubitationi obnoxia videtur. Hoc argumentum in contrarium licet primo intuitu ſatis arduum ſit, ſententiam tamen meam, eiuſque fundamentum non labefactat, dum notio legitimae ex feudo petendae non ſemper ita concipienda, vt pars feudi legitimae cedat, ſed vti infra *§. XXXIX.* pluribus exponam, ad aeſtimationem feudi, vel pretium, quo hoc comparatum, ſaepius reſpiciendum, indeque certa pecuniae ſumma a feudi poſſeſſore ſol-

Contra legitimam ex feudo petendam obiicitur, quod filiae, parentes in feudo ſuccedere non poſſint.

uenda, qua praestatio legitimae expletur. Et si legitima filiabus, vel parentibus in parte praedii praestetur, de quo §. *XL.* agitur, pars illa non vt feudum, sed allodium consideratur, in quo filiabus et parentibus indubitatum succedendi ius competit.

§. XV.

Sunt quidem adhuc plura dubia, quae contra sententiam meam in medium proferuntur, a) verum quum PISTORIS *c. l.* iis iam fecerit satis, huc transcribere, superuacaneum erit. Potius me ad tractandas materias vtiliores, quae alibi non ita excussae sunt, conuerto; vbi hunc seruabo ordinem, vt primo loco feudum, vnde legitima petitur, dein personas, quae eandem petunt, et a quibus petitur, porro quantitatem et computationem legitimae, nec non medium, quo petitur; et tandem casus, vbi legitima ista cessat, demonstrem. Feudum, vnde legitima petitur, alias inofficiose quaesitum vocatur, conf. Magnifici BAVERI *Differt. de feudo inofficiose quaesito.* Et quemadmodum tale fit, dum iuxta definitionem nostrae legitimae in §. *XI.* traditam, maxima pars patrimonii feudi acquisitione aut concessione consumitur, ita tres se offerunt feudi inofficiosi species, nempe quando in comparationem feudi maxima pars patrimonii erogatur, vel potior pars bonorum in feudum offertur, aut alteri in feudum conceditur. Ius patrium in *Const. ined. II.* primam saltem speciem feudi inofficiose quaesiti commemorat; verum in §. *XXV.* apparebit occasio inquirendi, an reliquae duae species feudi inofficiose quaesiti ad *Const. ined. II.* pariter trahendae.

Ordo thematis tractandi.

Feudum, vnde legitima petitur, describitur.

Tres sunt species feudi inofficiose quaesiti.

§. XVI.

Fraus ad feudum inofficiose quaesitum

Inter requisita ad feudum inofficiose quaesitum necessaria, fraus non refertur, vnde licet pater bona fide maximam

a) Legi possunt apud HEIGIVM *part. prior. qu. XXV.*

mam bonorum partem in comparationem feudi impendat, vel in feudum offerat, aut concedat, nihilominus legitima inde peti poteſt. In petenda legitima ex feudo non ad odium, quo in praeiudicium legitimae actum quendam celebrans, dignus eſt, ſed ad fauorem petentium, reſpiciendum, et quum hic ſemper appareat, omni fraude etiam ceſſante, merito ius petendi legitimam ex feudo et eo caſu, quo omnia honeſto modo peracta fuerint, rectè propugnatur. Cui accedit, quod theſi contraria aſſumta, ſaepius contra omnem iuſtitiam et aequitatem, legitima ex feudo denegaretur, videlicet ſi v. c. Iauolenus nullam vxorem, nullamque ſobolem habens, feudum acquireret, et in ipſius comparationem omne ſuum patrimonium impenderet, poſtea autem vxorem, et ex ea filias ſuſciperet, tandem vita fungeretur, nullum allodium, feudum autem ſimultaneé inueſtitis relinquens, quo caſu iuxta theſin contrariam filiae ſuperſtites nullam legitimam ex feudo petere poſſent. Acquirens ab omni fraude alienus fuit, qui enim liberos nondum habet, in praeiudicium eorum legitimae nihil inire poteſt. Dein donationem à patre factam, liberi infringere valent, licet donans ab omni defraudandi conſilio longe remotus ſit. Quam ſententiam ſequentem in modum defendo: In *l. 2. C. de inoffic. donat.* commemoratur donatio inoffícioſa ex impetu immenſae liberalitatis facta, ideoque non ex dolo. In *l. 5. Cod. eod.* liberis poſt donationem inofficioſam natis, ius hanc impugnandi tribuitur, quo ipſo ſatis euincitur, donationem fieri inofficioſam, licet conſilium defraudandi cum ea haud connexum. Equidem ſcio, diſſentientes potiſſimum ad *ad l. 8. Cod. eod.* prouocare, vbi conſilii et euentus mentio coniungitur; verum inde non regula formanda, ſed regerendum, quod in caſu ibi propoſito coniunctio vtriusque contigerit. Noſtrae opinioni et praxis adſtipulatur, ita B. WERNHER

non requiritur

neque ad donationem inofficioſam.

Conft. ined. II. nullius fraudis facit mentionem.

Tom. I. p. 933. praeiudicium [a]) exhibet, quod donationem inofficiofam iudicat, quamis nulla fraus interuenerit. In Saxonia noftra omni altercatione hac in re fuperfedere poffumus. *Conft. ined. II.* legitimam ex feudo petendam delineans, varia eius requifita, de quibus fuo loco verba facturus fum, comme-

a) Quod ita conceptum: Befinden fich die Kinder erfter Ehe in der legitima laediret, wenn der hinterlaßene Herr Witwer die 2000 thlr. ihme zu gebrachte Ehe-Gelder behalten, die Kinder auch annoch von denen bemeldten 225 rthlr. die Paffiu-Schulden tilgen und vergnügen follen; dahero derfelbe ferner des Rechten belehret zu werden verlanget: Ob nicht der Herr Witwer von denen 2000 thlr. Ehe-Geldern den Kindern, was ihnen von dem Pflicht-Theile ermangelt; zu suppliren, und daran heraus zu geben verbunden? Wann nun gleich der Herr Witwer, als feine Frau Gemahlin annoch an Leben gewefen, diefe 2000 thlr. Ehe-Gelder per pactum zu getheilet erhalten, und daß dadurch die Kinder in der legitima verletzet worden, dahero nicht füglich zu ftatuiren fcheinet, angefehen viuentis nulla hereditas ift *l. 1. ff. de hered. vel act. vendit.* die legitima aber bloß von denen hinterlaffenen Erbfchaffts-Stücken denen Kindern zuftehet, und iuxta tempus mortis parentum zu computiren, *l. 5. et 6. C. de inoffic. teftam. Fachin. L. 1. Controu. Cap. 27. §. fi non prohibet* fo gar, daß auch viuis parentibus denen Kindern keine legitima gehöret, noch felbige folche von denen Erben fordern können *l. 1. §. 21. ff. de Collat. bon.* ibique *Godofredus.* Dennoch aber und dieweil folches alles feinen Abfall leidet, wenn die Eltern zum praeiudiz ihrer Kinder das ihrige dergeftalt an andere zu verfchencken, fich anmaaffen, daß die Kinder in ihrer zu erwarten habender legitima verkürtzet werden, in welchen Fall dergleichen donationes pro parte legitimam laedente per querelam inofficiofae donationis zu refcindiren find *Nou. 92. c. 1. Barbos. Thefaur. locuplet. l. 10. c. 10. Ax. 11.* So erfcheinet daraus fo viel, daß der Herr Witwer von denen 2000 thlr. Ehe-Geldern denen Kindern was an ihren Pflicht-Theile annoch ermangelt, zu suppliren, und davon heraus zu geben verbunden. V. R. W.

commemorat, verum inter ea fraudem, vel fraudandi consilium, minime refert.

§. XVII.

Feudum vnde legitima petitur, nouum esse debet: quo sensu hic ita vocatur, exponitur.

Feudum, vnde legitima petitur, nouiter debet esse acquisitum, vel constitutum. Feudum nouum hic vocatur, vbi quis vel ad praesentem possessionem peruenerit, vel quendam in possessionem feudi constituerit, per maximae partis patrimonii erogationem; hinc simultanee inuestito feudum pro pretio, quod maximam partem bonorum absorbet, comparante, feudum eo sensu nouiter acquisitum dicitur, vt legitima inde peti possit. Ius patrium quidem aliter disponere, videtur in *Constit ined. II.* verb: **zu erkauffung eines gantz neuen Lehens, daran er zuvor keine Mitbelehnung oder Anwartung gehabt, anwenden.** Verum Magnificus Ordinarius noster in *alleg. dissert. §. XVII.* verba ista ad sanctionem non trahit, sed eum in finem apposita esse, autumat, vt notioni feudi noui, quod Const. necessario requirit, inseruiant. Non inutile erit, ipsissima verba, quibus Vir Illustris sententiam suam summo ingenii acumine defendit, huc apponere: „Verum verba ista: „**daran er zuvor keine Mitbelehnung oder Anwartung gehabt** ꝛc. non quidem pertinent ad ipsam sanctionem et decisionem quaestionis propositae, sed respiciunt saltim feudi „noui, cuius mentio immediate praecedit, descriptionem, „adeoque eo fine inserta sunt, quo adquisitio feudi noui „ab adquisitione feudi antiqui, vel quae fit beneficio simultaneae inuestiturae nec non expectantiae, accurate secerneretur, ita vt sensus potius iste sit, quod, si quis feudum „non vi expectantiae, vel simultaneae inuestiturae, sed de „nouo acquirat, atque bona sua allodialia inde exhauriat, „filiabus debeatur legitima. Vtcunque enim aliter verba „textus accipere, vel a contrario sensu argumentari velis: „tamen haec argumentatio ob id locum inuenire nequit,

Constit ined. II. conceptum feudi noui sistens, examinatur.

„quia rationi legis atque Sereniſſimi Legislatoris intentioni „contrariatur. Quippe Sereniſſimo Saxoni propoſitum eſt, „prohibere, ne quis bona ſua allodialia in fraudem legitimae „filiabus debitae comparationi feudorum impendat. Quod „ſi ergo arguere velis, permiſſum eſſe, vt quis feudum, „de quo antea ſimultanee inueſtitus vel expectiuatus eſt, non „expectata ſucceſſione emeret, et allodium exinaniret; ipſe „Sereniſſimus LLator altera manu filiabus abſtuliſſet, quod „altera dederat, imo anſam dediſſet, ſanctionem ſuam alia „via electa eludendi, quale quid arguere velle, abſurdum eſt. „Vnde ea, quam ante ſuppeditaui, textus explicatio vſu „fori comprobatur, et filiabus denegatur legitimae petitio „ex feudo, quod patri ex ſimultanea inueſtitura, vel expe„ctantia obuenit, conceditur vero, ſi Vaſallus deferendam „in feudo ſucceſſionem non expectet, ſed omnia bona ſua, „vel ſaltim maximam partem, in eius comparationem con„uertat.„ Aliud iudicium ferendum, vbi quis feudum poſſidet, et poſtea maximam bonorum partem in feudum impendit, dum vel hypothecam feudalem ſolutione debiti tollit, vel aedificia in feudo exſtruit, [a]) vel alias feudum melius inde reddit, hinc termini legitimae ex feudo petendae non adſunt, Vaſallus enim haec peragens bona non diſtrahit, vt vires patrimonii minuantur, atque legitimae praeiudicium inferatur, potius debitum feudale verſione in rem nitens inde efficitur, quod filiae, a poſſeſſore feudi, poſt obitum impendentis, recte exigunt.

Vaſallo hypothecam feudalem ſoluente, vel aedificia in feudo exſtruente, termini legitimae ex feudo petendae non adſunt.

§. XVIII.

Species feudi inoffícioſe quaeſiti caſi-

Species feudi inofficioſe quaeſiti, vnde legitima praeſtanda, caſibus nunc illuſtrandae veniunt. *Primus* eſt: Iauolenus

a) Iure Feudali Germanico aedificia in feudo exſtructa huic cedunt. *LR. lib. II. art. XXI. in fin.* nec debitum feudale inde redditur, proin iſto caſu ad auxilium legitimae confugiendum.

uolenus feudum emit, cuius pretium maximam eius bonorum partem absorbet. *Alter* est: Iauolenus praedium quoddam, maximam partem sui patrimonii constituens, in feudum offert, et vt feudum recipit. *Tertius* est: Iauolenus praedium, in quo potior patrimonii pars consistit, cuidam in feudum concedit, dominium directum sibi reseruans. Circa duos priores casus nihil vlterius monendum, quum facillimo negotio quilibet sibi concipere queat, hac ratione contingere posse, vt filiae, vel parentes in legitima laedantur. Circa vltimum autem dubium inde emergit, dominium directum penes concedentem feudum est, hoc iure allodii censetur, hinc heredes omnis generis, itaque vi consequentiae filiae, parentes defuncti Domini in isto succedere possunt, quare laesio legitimae hoc casu non ita videtur demonstrari posse, vti in prioribus. Haec omnia quidem rectè se habent, ita vt in dominio directo fiscus tanquam vltimus heres succedat, MEIER. in *Disp. de Successione feudi Cap. IV. §. 4.* nihilo tamen minus et hoc casu legitimae laesio extat, hinc ex feudo resarcienda; videlicet aestimatio dominii directi exigua omnino est, quum omnes fructus ex re cum dominio vtili coniuncti sint *II. F. 8. §. 2. II. F. 23.* verb. *vsusfructus;* vnde si fundus Tusculanus 20000. Imper. constans, in feudum commutetur, dubito valde, an pretium illud minutionem patiatur. Demus autem, dominium directum, et reliqua Domini directi iura suum habere pretium, in determinanda tamen legitima, ad aestimationem dominii directi non respicitur, quum hoc casu pars feudi legitimae cedat, vid. infra *§. XL.* Qua ratione igitur feudum penes eum, qui inofficiose illud acquisiuit fuit, ea ratione et petens legitimam portione feudi contentus esse debet.

bus illustrantur.

§. XIX.

Licet igitur tres isti casus conueniant, quod quolibet legitima ex feudo peti queat, in eo tamen primo intuitu discre-

Si maxima pars bonorum in feudum

concessa, indeque legitima filiae concedentis praestita, feudum autem ad ipsam postea reuersum fuerit, quaestio ventilatur, an legitima restituenda?

discrepare videntur, quod vltimo conditio possessoris feudi sit melior, duobus prioribus, quum spes appareat, legitimam, quam in praesenti praestitit, aliquando recuperandi, videlicet feudum, vnde legitima soluta, redit ad Domini heredes, qui legitimam ex feudo iam consecuti sunt, quo facto causa, vnde legitimam acceperunt, finita, adeoque ad eius restitutionem obligantur. Verum in hoc passu inter hunc et duos alios casus, vbi feudum inofficiose quaesitum extat, nullum intercedit discrimen, siquidem patre maximam bonorum partem in feudum concedente, et post ipsius obitum parte praedii in satisfactionem legitimae, filiae tributa, superfluum est, disquirere, an feudo ad filiam Domini, quae legitimam inde accepit, deuoluto, legitima antea praestita, repeti queat? Reditu feudi filia Domini plus non consequitur, quam antea habuit, quando enim pars praedii filiae in locum legitimae cedit, intuitu huius partis negotium feudale finitum, quippe quod in illis partibus, quae penes Vasallum manent, tantum subsistit. Et quemadmodum hae partes cum ista, quae praestationi legitimae inseruit, nullam affinitatem habent; ita his partibus ad filiam Domini deuolutis, causa, vnde legitima praestita, minime finita, proinde nec haec restituenda. Aliud forsitan asserendum, si filia defuncti Domini directi cum Vasallo paciscens, vt legitimam certa in quantitate praestet, diuisioni praedii feudalis renunciet, idque totum Vasallus retineat, paulo post autem feudum, quia possessor sine successoribus feudalibus decedit, ad filiam Domini dominio directo gaudentem, reuertitur. Dum enim considero, filiam Domini ob feudum a patre constitutum, legitimam petiisse, et etiam accepisse; iam vero feudum ad filiam rediisse, indeque cum adepta possessione feudi finiri causam, vnde filia legitimam antea consecuta sit, apparet ratio, cur filia Domini Vasalli defuncti heredibus allodialibus eam pecuniae summam, qua legitima praestita fuit, restituere obli-

gata

gata ſit; quemadmodum ſi fullo veſtimenta lauanda conduxerit, deinde, amiſſis eis, domino pretium ex locato conuentus praeſtiterit, hoc a domino veſtimenta poſtea inueniente, reperendi iure gaudet *l.* 2. *ff. de condict. ſin. cauſ.* Verum hiſce non obſtantibus autumo, heredibus allodialibus defuncti Vaſalli nullam competere actionem, qua filiam Domini conuenire poſſint, vt legitimam reddat. Filia Domini cum poſſeſſore feudi, vnde legitimam petiit, pactionem iniens, vt iſtam quantitate certa praeſtet, et feudum totum retineat, cum Vaſallo ſuper partem feudi ad legitimam ſpectantem, contractum feudalem de nouo celebrat, et quantitate determinata ſoluta, partem iſtam Vaſallo relinquit, quod negotium firmum, validum, purum eſt, hinc praetextu conditionis cuiusdam ex poſtfacto infringi nequit. Sicuti igitur per reditum feudi ad filiam Domini, cauſa, vnde haec legitimam ante accepit, finita minime dici poteſt, quippe quae cum reditu feudi nullam inuoluit cognationem, ſunt potius diuerſa, et plane ſeparata, ita negotio iſto adhuc ſubſiſtente, heredes allodiales defuncti Vaſalli legitimam a filia Domini repetendi, carent iure, et ratio diuerſitatis inter noſtrum, et caſum ab VLPIANO in *leg. alleg.* 2. allatum, in aprico eſt, videlicet penes fullonem veſtimenta pretio ſoluto non manent, ſunt enim amiſſa, ſed fullo ex contractu locati conuentus, pretium ſoluere obſtringitur, ſoluit autem ſub conditione quaſi, ſi veſtimenta non iterum inueniantur, his itaque inuentis, fullo pretium ſolutum nunc recte repetit. In noſtro autem caſu res ipſa, cuius aeſtimatio praeſtita, ſoluenti relinquitur, quae poſtea voluntate ipſius ad filiam Domini redit.

§. XX.

Parum caeterum refert, quale feudum nouiter conſtituatur, quo praeiudicium legitimae infertur. Hinc nullum dubium, quin, etſi feudum pacto antiqui, als ein alt Väter- *Ex feudo pacto antiqui acquiſito,*

liches Stamm-Lehn concessum, nihilo tamen minus legitima inde peti queat. Porro feudo foemineo, hereditario, quod post obitum patris ad filias non statim transmittitur, nouiter acquisito, termini habiles legitimae inde petendae extant. Neque obiicies, quod spes supersit, fore, vt filiae extinctis masculis, adhuc successionis commodo fruantur *II. F. 30.* siquidem haec spes incerta putanda, nec monente BAVERO in *Disp. alleg. §. XV.* filiabus imputandum, vt incertum futurae successionis euentum expectent, quum legitima sine omni onere relinquenda sit, vt ne quidem pure relicta, praestationem ad certum tempus dilatam, ob onus in temporis detrimento consistens, admittat *l. 32. C. de inoffic. testam.*

item hereditario, foemineo legitima recte petitur.

§. XXI.

Filia ex feudo foemineo legitimam accipiens, postea autem in eo succedens, ad eius restitutionem non obligatur.

Quid iuris autem, si filia ex feudo foemineo legitimam consecuta sit, posteaque ipsum ad feudum deficientibus masculis adspiret? valentne heredes allodiales defuncti Vasalli, qui legitimam suae sorori praestitit, hanc repetere? Foemina in feudo succedens, legitimam antea adeptam, sine causa non possidet; duplex hic subest patrimonium et successio, filia a fratre feudum paternum solo capiente, legitimam petit ex bonis patris, cui et succedit. Feudum post obitum patris ad filium deuolutum ad huius patrimonium refertur, et ab eo improle decedente ad sororem, ipsi succedentem transmittitur. Causa itaque, vnde filia legitimam accepit, per successionem in feudo fraterno finita dici nequit, proin repetitio ipsius nullibi fundata.

§. XXII.

Maxima pars bonorum, quae in feudum debet esse impensa, si legitima inde petenda, explicatur.

Non ex omni feudo nouo filiae, parentes legitimam petere valent, sed ex eo saltim, quod maximam partem bonorum acquirentis, aut concedentis absorbet. Quis horum verborum sit sensus, *Const. ined. II.* verb. in allen andern Fällen, als so das Lehen Alt-Groß-Väterlich, oder auch allein Väterlich wäre, oder da auch ein neu Lehen

hen von dem Gelde, so aus einen alten Lehen herkommen, erkauffet, oder da der Vater nicht den gantzen oder mehrern Theil, sondern allein die Helffte und darunter, oder auch wann derer Kinder unter vieren, nicht über zwey Drittheil seiner Erb-Güter, zu Erkauffung des neuen Lehens angewand 2c. soll denen Töchtern daraus und derentwegen gantz keine *legitimam* zu fordern gebühren, ex parte declarat, videlicet respicit hic Constit. ad potestatem illam, de bonis suis disponendi iure communi competentem, quippe qua ad dimidium, vel duas tertias integrum est, bona sua distrahere, vlterior dispositio laedit legitimam, quod Legislator Saxo ad feudum quoque trahit. Et licet iure feudali communi numerus liberorum aliter consideretur, quam iure patrio, inde tamen assertioni nostrae nihil decedit, aliud est finire potestatem, quousque quis sine praeiudicio legitimae de bonis suis disponere potest, aliud est determinare legitimam, intuitu prioris conueniunt ius feudale commune et patrium, ratione posterioris e contrario apparet discrimen. Vt autem de re clarius constet, exemplum in medium proferam, vbi iure feudali communi maxima pars bonorum in comparationem feudi, eiusue constitutionem impensa reperitur. Iauolenus in bonis habet 40000. Imper. et sex liberos, non autem necesse est, vt hic numerus liberorum tempore feudi inofficiose quaesiti extiterit, sed sufficit, tempore mortis talem adesse. Emtioni feudi 30000 Imper. impendit, vel praedium tanti pretii in feudum obtulit, aut concessit, post obitum ipsius extat allodium 10000 Imper. liberorum legitima tunc non est salua, quippe requirit summam 20000. Imper. quare id, quod legitimae deest, ex feudo supplendum. Quod si autem contingat, Iauolenum 24000 Imper. possidentem, et quatuor liberos suscipientem, 10000 Imper. feudi acquisitione, aut concessione consumere, et post mortem allo-

dium 14000 Imper. constans relinquere, tunc feudum ab omni onere legitimae praestandae immune est.

§. XXIII.

In Saxonia Electorali maxima pars bonorum in feudum erogata, paulo aliter consideratur.

Aliter res se habet iure nostro patrio. *Const. ined. II.* determinans partem bonorum in comparationem feudi impensorum **§. in allen andern Fällen**, ad numerum liberorum respicit hoc sensu: si quis quatuor vel plures habeat liberos, et supra dimidium bonorum, tribus vel paucioribus liberis autem extantibus, supra duas tertias, feudi acquisitione consumit, termini legitimae ex feudo petendae apparent. Hinc casus ad illustrationem *Const. ined. II.* faciens, ita se habet: Iauolenus pater quatuor liberorum possidens 40000. Imper. 21000. Imper. in comparationem feudi impendit, quo ipso ius nascitur, caeteris paribus legitimam ex feudo petendi. E contrario Iauoleno 20000 Imper. tantum in acquisitionem feudi impendente, termini legitimae ex feudo petendae non extant.

§. XXIV.

Dubium contra Const. ined. II. maximam partem bonorum non habito respectu ad quantitatem legitimae exponentem, monetur.

Estne autem dispositio *Const. ined. II.* commemorata, qua quatuor liberis extantibus, dimidium, paucioribus concurrentibus, duas tertias patrimonii, in comparationem feudi erogare, permittitur superflua, quum legitima ex feudo petenda ibidem minuta, nec amplius dimidia, aut tertia pars, sed iuxta numerum liberorum aut quarta, aut tertia. Nullam itaque forsitan inuenire est rationem, cur exemplum: Iauolenus pater quinque liberorum in bonis habens 24000. Imper. impendit 14000. in feudum, et relinquit 10000 Imper. ceu allodium, taxet *Const. ined.* quum legitima nullo modo laesa reperiatur. Non nego, hanc considerationem animum meum diu agitasse, vt fere autumauerim, melius fuisse, si Legislator Saxo maximam partem bonorum in comparationem feudi impensam determinans

ad

ad quantitatem legitimae ex feudo petendae, respexisset, itaque disposuisset, feudum inofficiose quaesitum vocari, si pater quatuor liberorum plus duabus tertiis, et trium plus tribus tertiis, erogasset in feudo comparando. Re autem curatius ponderata, reprehendi, Legislatorem Saxonem piissimae memoriae ratione sat sufficienti commotum, dispositionem istam emanasse. Ad fauorem filiarum respexit, et iis prospicere studuit, vt potestas, legitimam ex feudo petendi, magis amplietur, quam restringatur. Contingere potest, allodium post comparationem feudi extans, minui, et obitu patris paruum adhuc superesse, vbi, si *Constit. ined.* partem bonorum in feudi comparationem impensam vocasset, quae legitimam laederet, saepius filiae legitima ex feudo petenda, carere necesse haberent, è contrario autem, dum *Constit.* in determinanda maxima bonorum parte in comparationem feudi impensa, ad quantitatem legitimae respectum non habet, filiabus crebrior data est occasio, legitimam ex feudo petendi. Rem exemplo illustrabo: Iauolenus pater quatuor liberorum in bonis habet 24000 Imper. 16000 Imper. impendit in feudum, post ipsius obitum parum allodii reperitur, filiae tunc, si maxima pars bonorum in comparationm feudi erogata vocaretur, quando pater quatuor vel plurium liberorum supra tres quartas erogauit, legitimam ex feudo non capiunt. *Const. ined.* autem disponente, quod pater quatuor liberorum maximam partem bonorum in comparationem feudi erogasse dicatur, si supra dimidium bona impenderit, allato casu filiabus ius, legitimam ex feudo petendi, competit. Quod si mens *Const. ined. II.* foret, vt in patre feudum, ex quo legitima petenda, comparante, fraus requireretur, non sine omni fundamento, ex tanta bonorum parte in comparationem feudi impensa, fraus colligi posset.

fauor filiarum est ratio sanctionis.

§. XXV.

Hinc Conſt. ined. II. et eam ſpeciem feudi inofficioſe quaeſiti, vbi maxima pars in feudum oblata eſt, comprehendit;

Quum igitur *Conſt. ined. II.* maximam bonorum partem in comparationem feudi erogatam determinans, fauorem filiarum promouere allaborauerit, nullum eſt dubium, quin ſub *Conſt. ined. II.* et caſus, vbi v. c. Iauolenus pater quatuor liberorum ſupra dimidium, et tres liberos habens ſupra duas tertias bona in feudum obtulit, comprehendatur, quemadmodum enim et tunc termini feudi inofficioſi extant, ita requiſitum feudi per emtionem in praeiudicium legitimae quaeſiti, in fauore filiarum conſiſtens, ad hanc quoque ſpeciem trahendum. Aliud omninò aſſerendum, quando pater maximam partem bonorum, cuidam in feudum concedit, hunc caſum *Conſt. ined. II.* ſuo ambitu non complectitur, licet enim et tunc fauor filiarum animaduerſionem mereatur, tamen ratio, qua minutio legitimae in Conſt. occurrens, nititur, in fauore ſucceſſorum feudalium fundata, ceſſat, qua ceſſante ſanctio Conſt. extenſionem non patitur. Tertia igitur ſpecies feudi inofficioſe quaeſiti, in Saxonia noſtra ex iure Feudali communi iuxta ea, quae in §. *XXII.* tradita ſunt, diiudicanda. Interim fauor, quo filiae hoc caſu apud nos priuantur, alio compenſatur, nempe legitima tunc non eſt minuta, ſed talis, qualis iure communi praeſcripta

caſus autem, vbi maxima pars bonorum in feudum cuidam conceditur, ex Conſt. ined. II. non diiudicandus.

§. XXVI.

In originem bonorum, quae in feudi comparationem erogantur, fruſtra inquiritur,

Caeterum in originem bonorum, quae in comparationem feudi erogantur, inquirere, non neceſſe eſt, ſed legitima ex feudo peti poteſt, licet pecunia ex alienatione feudi veteris acquiſita, comparetur, vel praedium, quod antea et feudum vetus fuit, verum vel gratia Domini, vel eius refutatione, aut felonia, a nexu feudali liberatum, de nouo in feudum offeratur, vel concedatur. Pretium ex feudo alienato acquiſitum, et praedium, quod beneficium eſſe deſiit, ad allodium omninò refertur, hinc vtrobique non ius

Si pro pretio ex feudo antiquo redacto feudum ac-

ius feudale, sed ciuile applicandum. Ex hoc successio testamentaria, legitima in vtroque recte defenditur. Prono alueo inde fluit, quod si pretium istud in praeiudicium legitimae impendatur, vel ex praedio allodiali feudum efficiatur, actus desuper gestus, omni ex parte validus non iudicandus, sed legitimae petendae termini apparent. Sunt tamen, qui autumant, feudo pro pecunia, ex feudi veteris alienatione veniente, comparato, legitimam peti haud posse. Rationes, quibus opinionem suam defendere student, sunt sequentes: 1) heredes, qui a tali feudo in totum excluderentur, hoc eo minus aegre ferre possent, quo minus iustam querelam mouendi, ius habuissent, si feudum antiquum venditum non fuisset. 2) Feudum nouum tali ratione acquisitum, in locum feudi antiqui alienati surrogatum esset, hinc saperet naturam eius, in cuius locum surrogatum foret. 3) Vasallus feudum antiquum vendens, possideret quidem pretium pleno iure, sed vbi aliud feudum pro eo compararet, vel comparere studeret, non confunderet cum reliquis bonis, potius separatum teneret, nec vnquam illo animo possideret, vt heredes allodiales commodum successionis consequerentur. Verum haec argumenta me non mouent, vt opinionem meam deseram, et alii accedam; dum ad 1) inter fundamenta persuasionum, et iuris, insigne intercedit discrimen. Repraesentatio, quod actu non ita contingente, nulli querelae locus esset, prioribus annumeratur, ius autem, quod ex actu semel acquisitum, minime labefactat. Axioma: surrogatum sapit naturam eius, in cuius locum surrogatur, saepius quidem ad 2) allegatur, sed non semper habito respectu ad genuinam ipsius indolem. Vicem surrogati non statim quaelibet res alterius loco posita, subit, sed tunc demum, quando vel lex, vel conuentio rem succedentem surrogatum iudicat, quod autem eo casu, vbi pro pretio feudi veteris alienati, feudum emitur, cessat. Ius

quiritur, legitima inde debetur.

Quidam negant

eorum rationes

confutatio

ad

ad 3) quod quis semel acquisiuit, solo animo non mutatur *l. 18. pr. ff. de A. vel A. P.* sed tamdiu idem manet, quod ab initio fuit, donec actus quidam interueniat. Propositum in mente retentum, nullum parit effectum TIRAQVEL. *in l. si vnquam* verb. *libertatis num. 19. C. de reuoc. donat.* TVSCH. *in Concl. pract. Tom. VI. concl. 919.* Pretium ex feudo veteri redactum, ad venditorem pleno iure spectat, quod ius, dum animum tenet, feudum iterum comparandi, nullam patitur mutationem, et nemo concurrit, qui ius quoddam in illo pretio, tali proposito venditoris apparente, acquireret. Potius pretium istud cum patrimonio reliquo venditoris confusum, et circa vnius domini bona, vnius, eiusdemque indolis et naturae, nulla separatio extra casum legis statuenda. Dein, si hoc vltimum argumentum suo valore constaret, inde necessario flueret, quod v. c. Iauoleno feudum vetus alienante, et animum aliud emendi fouente, verum sine expletione propositi decedente, filiae ipsius ex pretio inde redacto nihil caperent, sed hoc, in feudo alienato, si adhuc extaret, succedentibus, cederet, quod tamen sine violatione iuris analogiae admitti nequit, ideoque communiter a Dd. [a]) iuris feudalis negatur. Interim iure nostro patrio per *Const. ined. II. §. in allen andern Fällen*, dispositum est, ex feudo pro pretio feudi veteris comparato, legitimam non deberi. En igitur casus, vbi lex rem succedentem pro surrogato iudicat.

In Saxonia El. aliud dispositum

§. XXVII.

Quaestio: an si conuentione pretio ex alienatione feudi

Hac occasione quaestio merito ventilatur, si conuentione pretio ex alienatione feudi acquisito, natura feudi tribuatur, an filiae, parentes paciscentis, legitimam inde petere queant?

a) COLER. *p. 2. decis. 283.* GAIL. *de pignorat. obseru. 11.* MODEST. PISTOR. *Vol. 1. consil. 2. n. 308.* VVLTEI. *de feud. lib. 1. cap. 5. n. 10.* CARPZOV. *p. III. Const. XXX. defin. 1.*

queant? Per casus decisio suppeditanda. Dum Vasallus feudum alienare cupiens, cum agnatis, vel simultaneè inuestitis, qui alias consentire recusant, pactionem init, vt pecunia ex feudo redacta, qualitatem feudi in tantum retineat, vt Vasallo sine descendentibus masculis decedente, in ipsa, vti in feudo, agnati, vel simultaneè inuestiti succedant, filiae, vel parentes Vasalli tali modo paciscentis, ista ex pecuniae summa nullam legitimam petere possunt, quia idem est, ac si feudum alienatum extaret, quum in eius locum pretium valide surrogatum fuerit. Huic sententiae accedit *Const. El. XXX. p. III.* heredes allodiales ad praestationem interesse compellens, quod CARPZOV. ad istam *Constit. defin. VIII.* de exsolutione pecuniae natura feudi donatae, rectè explicat. Neque obstat, quod ibi et consensus Domini in tale pactum requiratur, siquidem hoc verum, si ista quantitas in respectu ad Dominum pro feudo habenda, hoc autem cessante, pactum, pecuniam ex feudo redactam, ad solos successores feudales transmittens, et heredes allodiales excludens, consensu Domini non munitum, validum est. HORN. *in Iurispr. feud. Cap. IV. §. XXVI.* Succedit alius casus, vbi feudo ritè alienato, et pretio inde sine omni conditione redacto, venditor ex post facto cum agnatis, vel simultanee inuestitis conuentionem celebrat, vt ipso sine descendentibus masculis obeunte, in illo pretio, ceu feudo succedant. Tunc omnia locum sibi vindicant, quae supra prolata sunt, vbi quis maximam bonorum partem in feudum impendit, hinc termini legitimae petendae omnino adsunt; attamen ad hunc casum *Const. ined. II.* non trahenda, quum simultanee inuestiti in pecuniae summa succedentes, eum fauorem vrgere non possint, quo Constit. successores feudi dignos iudicat conf. *§. XXV.*

redacto, natura feudi tribuatur, legitima inde peti queat? per casus decidenda.

Quando agnati vel simultanee inuestiti in alienationem feudi non aliter consentiunt, quam si pecunia inde redacta naturam feudi retineat, nulla legitima inde peti potest.

Quando venditor feudi ex post facto cum agnatis, vel simultanee inuestitis conuentionem celebrat, vt in pretio, ceu in feudo succedatur, legitima debetur. hic casus tamen ad Const. ined. II. non trahendus.

§. XXVIII.

Regulae boni ordinis exigunt, vt personas nunc delineem, quibus, legitimam ex feudo petendi, ius competit.

Personae traduntur, quae legitimam ex

feudo petere possunt. Tres classes legitimam petere valentium, in iure communi reperiuntur, Descendentes, et Ascendentes simpliciter, Collaterales autem certa ratione, legitimam petendi, gaudent iure. *l. 27. C. de inoffic. testam.* De his omnibus in subsequentibus agam, demonstraturus, in quantum ipsis permissum sit, legitimam ex feudo petere.

Filiae potissimum ex feudo petunt legitimam. Sub descendentibus equidem regulariter filias intelligo, filii enim non opus habent hoc remedio extraordinario, quippe iure succedendi in feudo satis tuti sunt. Interim et contingere potest, vbi filiis ad legitimam ex feudo petendam confugere, necesse est, videlicet, si pater maximam bonorum partem in feudum alicui concessit, et post ipsius obitum filiis legitima salua non est, vbi filii cum filiabus aequali vtuntur iure. Quando autem pater feudum relinquens, filium solum in legitima heredem fecit, vel feudum refutauit, filiorum ius est diuersum. Filiabus igitur, sub quibus et reliquas descendentes foeminas comprehendo, magis doctrina legitimae ex feudo petendae prospicitur, iis enim ius in feudo succedendi non datum, vnde auxilium in legitima exinde petenda, quaerere debent. Neque obiicies, quod feudum a patre relictum, partem hereditatis constituat *II. F. 45.* itaque filiae in feudo paterno, vti in reliquis bonis succedere valeat, neque confugio subsidiario legitimae opus sit, siquidem assertio ista filios tantum, minime verò filias tangit. Harum respectu habito feudum et allodium sunt separata, et distincta. Caeterum parum refert, an filiae legitimam ex feudo petentes, in matrimonio sint natae,

Licet per subsequens matrimonium, vel Rescriptum Principis legitimatae, vel per adoptionem quaesitae sint. an per subsequens matrimonium, vel per Rescriptum Principis ad effectum successionis legitimatae, vel per adoptionem quaesitae, omnibus ius succedendi est concessum, hinc et gaudent potestate, legitimam ex feudo petendi. Pariter non ad rem facit, an filiae tempore feudi inofficiose quaesiti lucem iam adspexerint, an demum postea, his enim Imperatores DIOCLET. et MAXIM. in *l. 5. C. de inoffic. donat.* intuitu

tuitu donationum immensarum prospexerunt, siquidem liberi nasci turi pro natis habentur, quoties de eorum commodo agitur, *arg. §. 2. et 8. I. de Heredit. quae ab intest. defer.*

§. XXIX.

Liberi illegitimi ex feudo non petunt legitimam, nisi mater maximam bonorum partem in illud erogauerit.

Liberis illegitimis non competit successio in bona patris *auth. licet C. de natur. lib.* hinc nec legitima in genere, multo minus ex feudo debetur. Secus est, si mater maximam bonorum partem in feudum erogauerit, et filiam naturalem, vel spuriam relinquat, huic iura potestatem, in bonis matris succedendi, tribuunt *§. 3. I. de SCt. Orphit.* imo actionem inofficiosi testamenti *l. 29. §. 1. ff. d. inoffic. testam.* vnde nec legitima deneganda. Assertioni isti et locus dandus, si mater maximam bonorum partem in comparationem feudi impendat, et filium naturalem, spuriumue progignat, hic ad feudum non admittitur *II. F. 26. §. naturales Ius Feudal. Saxonic. comm. c. 2.* quare ad legitimam recte confugit.

§. XXX.

Ascendentes ex feudo petunt legitimam.

Ad alteram classem personarum legitimam ex feudo petere valentium, me nunc conuerto. Quod si filius, vel filia maximam bonorum partem in comparationem feudi impenderit, vel in feudum obtulerit, aut concesserit, et sine heredibus descendentibus obierit, superstitibus parentibus legitima ex feudo competit. Qua ratione parentes, mortalitatis ordine turbato, succedunt, ea et legitimam ex feudo obtinent; hinc superfluum foret, hac in re pluribus verbis commorari. Haec tamen quaestio ex iure patrio hic decidenda erit, quousque a filio, filiaue, maxima pars bonorum, in comparationem feudi, vnde parentes legitimam petunt, censeatur erogata? Parentes secundum lineas succedunt, proinde successio ascendentium duas portiones non transgreditur *Nou. CXVIII. c. II.* vers. *si autem eundem habeant gradum*, nequidem tunc moribus, quando cum parentibus defuncti fratres, et sorores bilaterales concurrunt, quippe qui Iure Germanico a

 parentibus

parentibus excluduntur. *I. P. S. lib. I. Art. 17.* Hinc coniicio, quod ascendentes in successione duas personas repraesentent. Applicans igitur ex *Constit. ined. II. §.* **in allen andern Fällen,** qui ad legitimam filiarum requirit, vt pater tres, vel pauciores liberos habens, supra duas tertias in comparationem feudi erogauerit, assero, quod si in Saxonia ascendentes ex feudo legitimam petant, necesse esse, filium, filiamue plus, duabus tertiis patrimonii in feudum impendisse. Iura liberorum et parentum iudicantur reciproca, ideoque quicquid in *Const. ined. II.* iuxta supra tradita, de legitima liberorum ex feudo petenda, dispositum, recte autumo, et locum habere circa legitimam parentum ex feudo obtinendam.

Const. ined. II. ad legitimam ascendentium ex feudo petendam recte applicatur.

§. XXXI.

Fratribus germanis, et consanguineis etiam legitima ex feudo debetur.

Sequitur vltima classis legitimam ex feudo petentium, quam occupant fratres germani, et consanguinei, sororibus inclusis. Quemadmodum autem iure communi collateralibus legitima non simpliciter debetur, sed si vel infamiae, vel turpitudinis, vel leuis notae macula adspersa persona, ipsis praeferatur. *l. 27. C. de inoffic. testam.* ita restrictio ista et huius loci est *arg. II. F. I.* Casus itaque inuestigandi erunt, vbi collateralibus ex feudo legitimam petendi, ius competit. In genere requiritur, fratem, vel sororem, post cuius obitum, ipsius collaterales primi gradus, legitimam ex feudo quaerunt, nullis proximioribus successoribus relictis, decedere, et maximam bonorum partem in feudum erogasse. Maxima pars bonorum hic eadem ratione consideratur, vt supra, vbi de legitima liberorum et parentum iure Feudali communi debita, actum fuit, siquidem et augmentum legitimae ad fratres spectat, quippe quod *Nou. XVIII. c. 1. in fin.* ad omnes personas extenditur, quibus olim quarta assignata fuit, adeoque et ad fratres. Quod iure patrio pariter statuendum, *Const. ined. II.* enim delineat tantum legitimam liberorum, et vi consequentiae parentum ex feudo petendam, ne verbulo

maxima pars bonorum hic eadem ratione in feudum debet esse impensa, (quam vbi liberi et parentes legitimam inde petant.

Legitimam collateralium

bulo

bulo autem mentionem collateralium iniiciens, proinde dispositio huius *Constit.* contra mentem Legislatoris ad collaterales extensionem non patitur. In Saxonia itaque Electorali legitima collateralium acquisitione, aut constitutione feudi laesa vocatur, si quinque vel pluribus fratribus extantibus, plus medietate patrimonii, at quatuor vel paucioribus concurrentibus, plus duabus tertiis, absorbet feudum.

ex feudo petendam Const. ined. II. non delineat.

§. XXXII.

Speciatim autem ad legitimam collateralium ex feudo obtinendam requiritur, vt feudum, ex quo legitima petitur, penes personam infamia, turpitudine, aut leuis notae macula laborantem post obitum fratris, vel sororis, voluntate defuncti reperiatur. In formando eiusmodi personae conceptu, satis iam noto, non morabor, potius casibus demonstrandis, vbi feudum ad personam turpem peruenerit, studebo. Si frater maculatae personae maximam suorum bonorum partem in feudum concesserit, post obitum ipsius superstites fratres et sorores legitimam inde iure suo petunt. Quod et verum, si frater maximam bonorum partem maculatae personae in feudum obtulerit, et ad eam, Vasallo sine successoribus feudalibus decedente, feudum reuertatur, vel feudum comparauerit, quod a persona maculata recognoscitur, et ad hanc post mortem Vasalli redit. Priores casus satis perspicui, nec difficultatibus obnoxii sunt, circa vltimum autem explanatione quadam opus erit, quum statim non appareat, qua ratione feudum voluntate fratris, post huius mortem ad Dominum directum, personam maculatam transeat. Dum considero, quod frater scienter cum persona maculata societatem feudalem in praeiudicium legitimae ineat, et compertum habeat, feudum cum laesione legitimae comparatum, aliquando personae maculatae cedere, hocque euitare potuisset, assertio, facto fatris feudum ad personam maculatam peruenisse, indeque reditum,

Ad legitimam collateralium requiritur, vt feudum, vnde petitur, penes personam maculatam post obitum fratris reperiatur.

Hoc contingere potest, si frater maculatae personae maximam bonorum partem in feudum concesserit, vel obtulerit, vel feudum comparauerit, quod a persona maculata recognoscitur.

feudi ad dominum inofficiosum putandum, rescidendumque esse, firmo stat talo. Do instantiam egregie ad rem facientem. Frater immensa liberalitate bona sua in personam honestam transfert adiecta lege, vt post obitum huius, redeant ad personam turpem. Casu contingente, vbi viuo donatore, persona turpis hoc lucrum capit, nullum est dubium, quin post mortem donatoris, eius fratres legitimam petendi, iure gaudeant. Quo ipso simul euincitur, legitimam ex feudo collateralibus non deberi, si fratre feudum, quod a persona maculata recognoscitur, comparante, defuncto, istud ad simultanee inuestitum, et hoc decedente, ad Dominum, personam maculatam, deuoluatur; actus inofficiosi tempore mortis eius, ex cuius bonis legitima petitur, existere debent, dum autem tunc validi sunt, postea infringi nequeunt.

§. XXXIII.

Collaterales ex feudo legitimam petunt, si persona maculata coniunctam manum impetrauerit.

Casibus quidem commemoratis, vbi collaterales legitimam ex feudo petere valent, adhuc alius annummerari posset, si persona maculata feudo fratris inofficiose quaesito, vna inuestiretur, simultanee inuestitus enim Vasallo sine descendentibus defuncto, successionem in feudo affectat, et collaterales excludere cupit, vt hi ad querelam inofficiosi confugere, necessum habeant. Verum Magnific. BAVER. *in Diss. cit. §. X.* recte monet, quis Dominus directus concedet beneficium simultaneae inuestiturae, qui non potest honeste stare in Curia ipsius, nisi feudum maxime vile concedatur, v. c. carnificum feudum Caviller-Lehen, Hencker-Lehen, Abdeckerey-Lehen, [a]) et excoriator vi simultaneae

quod tantum circa feudum vile fieri solet.

a) B. *de Ludewig in Iur. Feudor. Roman. Imper. atque German. Princip. c. VII. §. XV. p. m. 424.* communicat literas clientelares de feudo carnificum in Ducatu Magdeburgico conceptas huius tenoris: Wir Friedrich Willhelm, König in Preussen u. s. w.

taneae inuestiturae, Vasallo improle decedente, in feudo succedat.

§. XXXIV.

Fratrum liberi et vterini nunquam legitimam ex feudo petunt. victoria fratris germani praedefuncti fratris filiis, vel consanguinei vterinis intuitu legitimae ex feudo petendae non prodest.

Fratrum liberi autem, et vterini nunquam legitimam ex feudo petunt, quum haec in *l. 27. C. de inoffic. testam.* fratribus germanis tantum et consanguineis tribuatur, vterinis diserte exclusis. Neque dubium inde desumtum, victoriam fratris germani, praedefuncti fratris filiis, vel consanguinei vterinis prodesse *l. 6. §. 1. ff. de inoffic. testam.* de COCCEII *in iure Controu. Lib. V. Tit. II. qu. XV.* BERGER. *in Oecon. iur. Lib. II. Tit. IV. §. XVII. not. 11.* qui vna de vsu fori hanc thesin approbante, testatur, consideratione dignum, sententia enim, qua nititur, supponit testamentum, quod germanus, aut consanguineus vt inofficiosum impugnat, et victoriam reportat, qua consecuta et testamento rescisso, causa

u. s. w. Nachdem bey uns der Nachrichter N. Ansuchung gethan, ihme die erhandelte Meisterey und Abdeckerey zu confirmiren: als verleihen krafft dießes Briefs ihme und seinen männlichen und weiblichen Leibeserben erb- und eigenthümlich das Nachrichter-Amt und die Abdeckerey (in nach benahmten orten) alle nachrichterliche Verrichtungen, als peinlichen Verhören, enthaupten, stranguliren, auf das Rad zu legen, auszustreichen, brennen, und dergleichen zu verrichten, und alles und iedes kleines und großes Vieh, wenn es abstirbet, oder unrein befunden wird, durch seine Leute wegholen, abdecken, und wegschleppen zu laßen, und die Haut ohne Entgeld zu seinen Nutzen zu behalten, darinnen ihnen bey Straffe zwey Wispel Haber, niemand zu beeinträchtigen; dahingegen dem Forst-Amst jährlich 40 Rthlr. Hunde-Gelder abzutragen. Wie auch unsern Beamten und Dienern die gewöhnlichen Handschuhe zu liefern. Auch bey ereigneten Sterbefall die gehörige Lehn-Wahre zu erlegen. Auch da wir in dießen district Wolfsgarten, Fuchsfernungen anlegen laßen mögten, solche mit Luder zu versehen, zu Urkund haben wir dieses besiegeln, und von unsern Ober-Jäger-Meister unterschreiben laßen. Berlin den 28. Aug. 1727. S. v. und zu Hertinfeld.

causa intestati fit, vbi de legitima amplius non est sermo, sed ad hereditatem ab intestato relictam, iure ciuili cum germanis, germanorum liberi, et consanguineis, vterini omnino concurrunt. In praesenti autem de legitima sola ex feudo obtinenda, solliciti sumus, intuitu cuius et actus, quo feudum inofficiose acquisitum, vel constitutum, vnice rescinditur, caeterum ratus, validusque manet, quare hic talis successio ab intestato, vti testamento inofficioso rescisso, non deprehenditur.

§. XXXV.

A successoribus in feudo inofficiose quaesito,

Personas legitimam ex feudo petere valentes, excipiunt personae, a quibus petitur. Sunt autem potissimum successores in feudo inofficiose quaesito; et parum refert, an iure sanguinis, an pacto succedant. Vnde si parens maximam bonorum partem in comparationem feudi erogauerit, idque obitu suo ad descendentes masculos transmittat, ab his filiae legitimam recte petunt.

itaque a filiis,

Quemadmodum et filio, filiaue feudum inofficiose acquirente, idque ad simultanee inuestitos post mortem transmittente, parentes a successione exclusi, simultanee inuestitos iure adeunt, vt legitimam praestent.

simultanee inuestitis,

Imo si feudum inofficiose quaesitum post mortem Vasalli ad Dominum redeat, filiae, vel parentes defuncti ab ipso Domino petunt legitimam, quippe annumeratur debitis feudalibus, quae talia fiunt ob fauorem causae. vid. *Principia nostra Iur. Feud. Cap. X. §. XXXII.* vnde et successores singulares ea subire debent.

imo Domino ipso legitima petitur

legitima debitis feudalibus annumeratur.

Pariter si Vasallus feudum inofficiose quaesitum Domino refutauerit, hic post obitum refutantis filiabus aut parentibus, legitimam ex feudo praestare obstrictus. Rescissa enim acquisitione feudi ob praeiudicium legitimae contractum, nec refutatio ad illam se referens, subsistere potest, cui et inter donationes inofficiosas non sine fundamento locus tribuitur.

XXXVI.

Ad quem feudum inofficiose quaesitum

Quid iuris vero si feudum, in cuius comparationem maxima pars bonorum ab acquirente impensa, per feloniam amittatur,

amittatur, et ad Dominum, vel ſimultanee inueſtitos redeat? Ad poſſeſſorem feudi onus legitimae ſpectat. Acquiſitioni feudi cohaeret vitium, eius reſciſſionem efficiens. Quotiescunque igitur transmiſſio feudi ad acquiſitionem ita ſe refert, vt iſta ſine hac contingere non potuerit, certaque ratione inde deriuetur, toties vitium, indeque promanans onus feudum comitatur, nec ab eius transmiſſione ſeparari poteſt. Subſumo, dum feudum ex capite feloniae, Domino, ſimultanee inueſtito cedit, ad acquiſitionem feudi a Vaſallo feloniam committente factam, ita reſpicitur, vt ea omiſſa feudum nunquam ex capite feloniae ad Dominum, ſimultanee inueſtitum deuolui potuiſſet. Ergo transmiſſio iſta feudi vitio, hincque fluenti oneri, cum quo acquiſitio connexa erat, ſubiacet, et vi conſequentiae cum ipſa acquiſitione reſciſſioni obnoxia. Inde vero non ſequitur, quod feudum inofficioſe quaeſitum bona fide, pretio interueniente comparans, legitimam praeſtare teneatur. Ad eum onera tantum realia tranſeunt, quibus praeſtatio legitimae non annumeratur. Dein inter hunc, et in principio §. commemoratum caſum inſignis intercedit diuerſitatis ratio, hic vitium acquiſitionis tranſitorium defendens, illic autem negans; videlicet ad emptorem non tranſit feudum facto venditoris, ſed Domini, inueſtitura puta *II. F. 1. in fin.* vnde emtor venditorem non repraeſentat, neque facta eius circa acquiſitionem feudi perpetrata, quatenus iure reali non munita, praeſtat. Refutatio autem, vel felonia in facto Vaſalli ſe fundat, hinc ille, ad quem feudum inde venit, rationi acquiſitionis contradicere nequit. Aliud ſentiendum, ſi defunctus Vaſallus feudum pro viliori pretio in praeiudicium legitimae alienauerit, tunc ſiue feudum inofficioſe, ſiue iuſto modo comparatum fuerit, quod immoderate geſtum eſt, apprime reuocandum videtur, ad exemplum actionis Fauianae et Caluiſianae BAVER. *in Diſſert. alleg. §. XXIII.* ideoque emtor ad praeſtandam legitimam conuenitur.

ob feloniam Vaſalli redit, legitimam praeſtare, obſtrictus eſt.

non autem, qui feudum inofficioſe quaeſitum b. f. comparauit. legitima oneribus realibus non annumeratur.

§. XXXVII.

Caeterum et legitima ab eo, qui feudum non amplius poſſidet, recte petitur. Filius nempe, ſimultanee inueſtitus, Dominus

Ad quem ſemel feudum inofficioſe

quaesitum peruentum, onus legitimae detrectare haud potest, licet feudum amplius non possideat.

minus feudum inofficiose quaesitum capiens, illud iterum alienat; qui bona fide feudum comparat, iuxta iam tradita, nihil metuere debet. Quum autem filius, simultanee inuestitus, Dominus, dum feudum inofficiose quaesitum, lucrati sunt, ad praestationem legitimae se obstrinxerunt, desinens possessio exceptionem fundatam haud praebet, potissimum quum pretium ex feudo alienato redactum, pro parte, qua acquisitio et transmissio feudi non subsistit, sine causa possideatur. Cum quo casu et is conuenit, vbi Parens maximam bonorum partem in feudum cuidam concessit, qui feudum alienauit, tunc non praesens possessor, sed feudum inofficiose acquirens, ad legitimam praestandam compellitur.

§. XXXVIII.

Legitima ex feudo petenda iure feudali communi tanta est, quanta in Iu. Ciuili occurrit.

In Sax. El. est minuta,

etiam ratione ascendentium, neutiquam vero collateralium

De quantitate et computatione legitimae ex feudo petendae nunc verba facienda. Ius Feudale Commune, et Electorale Saxonicum, hac in re quodammodo separanda veniunt. Illud hic additamentum ex iure Ciuili capit, quum dispositio Iuris beneficiarii, legitimam delineans non extet. Satis autem iam notum, quanta sit legitima in iure Iustinianeo, hinc superfluum puto, tritissima principia apponere. A sanctione ista recedit Ius Patrium, legitimam *in Const. ined. II.* §. jedoch soll alsdann ex feudo petendam ita minuens, vt quartam partem legitimae assignet, si liberorum sint tres, vel pauciores, tertiam autem, quatuor vel pluribus concurrentibus. Huius dispositionis extensionem §. *XXX.* ad parentes iamiam defendimus, in §. subsequenti autem collaterales exemimus. Inde in Saxonia nostra casu contingente, vbi collaterales legitimam ex feudo petunt, quantitas in iure communi praescripta, ad applicationem trahenda. Nec nocet, hac ratione legitimam collateralium iure patrio superare, legitimam liberorum, et parentum ex feudo petendam, rariores enim, vti iam demonstratum fuit, sunt termini habiles legitimae ex feudo collateralibus debitae, quare Legislator Saxo ad casum raro contingentem non respexit, eum dispositioni iuris communis subiiciens.

Rationem legitimae in Saxonia minu-

Rationem legitimae in *Const. ined. II.* minutae CARPZOV. *in Dissert. de oneribus Vasalli feudalibus Decad. III. posit. VI.* talem

lem suppeditat: *fauorabile,* inquit, *autem quantumuis est filiabus onus hoc feudale, attamen certo rursus temperamento ita qualificatum existit, vt dignoscere facillimum sit, serenissimum legislatorem fauore, sexus muliebris se non vinci passum fuisse, quin etiam agnatis et simultanee inuestitis prospectum voluerit.* Ex qua ratione merito concludo, quod si parens, filius, vel filia, maximam bonorum partem in feudum concedat, vel refutationem beneficii suscipiat, aut felonia ipsius feudum ad simultanee inuestitos, Dominum redeat, legitima non sit minuta, sed semis vel triens iuxta numerum istam petentium; quod et verum, si pretio ex feudo antiquo redacto, per conuentionem natura feudi tributa, itaque filiae, vel parentes ad legitimam confugere, necessum habent, his enim casibus ratio adducta applicatione caret. Pariter filiorum legitima ex feudo peculiaribus casibus petenda, quod fieri solet, dum pater filium in legitima tantum heredem fecit, vel feudum refutauit Domino aliique vid. *§. XI.* in Saxonia detrimentum passa non est, cessante enim ratione legis, cessat dispositio.

tae, fauor successorum in feudo commonstrat.

hinc si maxima pars bonorum in feudum concessa, vel refutatio feudi suscepta fuerit, aut felonia feudum ad Dominum reuersum, legitima in Saxonia non minuta est.

quod et verum si filii peculiaribus casibus legitimam ex feudo petant.

§. XXXIX.

Licet autem quantitas legitimae ex feudo petendae, alia erat iure Feudali communi, alia iure Saxonico Electorali, computatio tamen ipsius conspirat, summa in comparationem feudi impensa, vel aestimatio praedii in feudum oblati, vel concessi, cum allodio post mortem eius, qui feudum in praeiudicium, legitimae acquisiuit, vel constituit, extans, in vnam redigitur massam, indeque postea quantitas legitimae determinatur. Per exemplum res fit clarior: Iauolenus pater vnius filii, et trium filiarum, 60000. Imperiales possidens, comparat feudum pro 50000. Imper. post ipsius obitum extat allodium 10000. Imper. quod neque Iure Feudali communi, neque Patrio, legitimae filiabus debitae sufficit, hinc quod deest, ex feudo supplendum. Legitima igitur est triens vtroque iure, siue 20000. Imper. Qua summa in quatuor partes diuisa, vna portio est 5000. Imper. ideoque filius totum allodium filiabus relinquens, ex feudo adhuc

De computatione legitimae agitur,

exemplum proponitur

5000. Imper. vt ſupplementum legitimae praeſtare, obſtringitur. Quod exemplum et illuſtrationi inſeruit, Iauoleno praedium 50000. Imper. conſtans, in feudum offerente, aut concedente. Sicuti igitur quantitas in feudum conuerſa, vel aeſtimatio rei in feudum oblatae, aut conceſſae, in computationem legitimae venit; ita legitima nec augetur, nec minuitur, ſi feudum inofficioſe quaeſitum, tempore defuncti feudum acquirentis, vel conſtituentis pluris, vel minoris valeat. Cuius rei haec videtur eſſe ratio: acquiſitione aut conſtitutione feudi praeiudicium legitimae infertur, hinc eatenus, quatenus legitimae praeiudicat, non ſubſiſtit; quare in reſciſſione ipſius ad tempus, quo legitimae praeiudicium illatum, reſpicitur, ideoque etiam ſecundum illud tempus aeſtimatio praedii in feudum oblati, aut conceſſi, vel quantitas in emtionem feudi erogata, conſideratur. Eius, a quo legitima ex feudo petitur, commodum eſt, ſi aeſtimatio feudi creuerit, hinc nec incommodum recuſare poteſt, ſi decreuerit. *l. 10. ff. de R. I.* Neque obſtat, quod quantitas legitimae mortis demum tempore iudicetur, ſiquidem inde non fluit, quod ex quantitate patrimonii, vti tempore mortis ſe habet, legitima ſemper conſtituatur; potius expediti iuris, actibus in praeiudicium legitimae geſtis, in computationem venire, quod antea in bonis fuit *Nou. XCII. c. 1.* verb. *in tantum autem aucta quantitate* LAVTERBACH. *in Diſp. de inoffic. donat. §. XXVII.*

In computatione legitimae ad tempus feudi inofficioſe quaeſiti reſpicitur

§. XL.

Si pro pecunia feudum acquiſitum, minus dubii habet, quod non pars feudi inde comparati, ſed certa pecuniae ſumma legitimae aſſignetur, quum res tunc haud diſtracta, ſed quantitas pecuniaria principaliter in praeiudicium legitimae erogata. Re autem alteri inofficioſo modo in feudum oblata, cum Magnifico BAVERO *in Diſp.* ſaepius commemorata *§. XXV.* ſtatuimus, quod, ſiue feudum poſt mortem Vaſalli in praeiudicium legitimae conſtituentis, ad alium ſucceſſorem feudalem, ſiue ad Dominum reuertatur, heredi allodiali in parte praedii legitima praeſtanda, ſiquidem negotium feudale vtroque caſu pro parte legitimae

Feudo pro pecunia comparato, et certa pecuniae ſumma legitimae aſſignatur,

re autem in feudum oblata, legitima in parte praedii praeſtanda.

legitimae laesae rescinditur; ipsa res in praeiudicium legitimae distracta, hinc neuter declinare potest, quo minus ipsa res legitimae cedat. Quod multo magis tunc statuendum, si cuidam praedium vt feudum concessum. Casum, vbi quis inofficioso modo feudum a Domino acquisiuit, sed non pecuniam, verum aliam rem allodialem, puta speciem Domino dedit, Magnificus BAVER *c. l.* mediante distinctione, an sc. querela contra successorem in feudo moueatur, an contra Dominum, ita decidit, vt priori casu actor, qui non potest non praeuidere, ipsam rem allodialem, à defuncto alienatam penes eum non existere, haud dubie praestationem pecuniariae quantitatis petat, posteriori vero intersit; an res pro feudo data, adhuc penes Dominum existat, atque hanc, quum principale obiectum negotii inofficiosi fuerit, pro parte reuocare, integrum foret; an vero non amplius existat, et nihil prohibeat, quo minus actor aestimationem desideret.

quod et verum si cuidam praedium in feudum concessum.

Quando autem a Domino pro re allodiali tanquam specie feudum comparatum, interdum praestatio pecuniariae quantitatis, interdum pars ipsius rei petitur.

§. XLI.

Quemadmodum autem iure Giuili legitima computatur, collatis iis, quae liberi a parentibus viuis acceperunt, *l. 17. C. de collat.* ita et hoc verum, si ex feudo legitima petatur, quod pariter et ius Saxon. Electorale in *Constit. ined. II. ∫.* in allen Fällen statuit. Quum verò liberi tantum sibi inuicem conferre teneantur, *l. vlt. C. comm. vtriusque iud. l. 17. C. de collat. Nou. XVIII. c. 6.* onus collationis cessat, si parentes, vel collaterales ex feudo petant legitimam.

Collatio et circa legitimam ex feudo petendam, locum sibi vindicat.

inter ascendentes et collaterales cessat.

§. XLII.

Superest, vt de remedio, quo legitima ex feudo hactenus delineata, petitur, agatur. Actio eum in finem instituenda, est personalis fluens ex inofficiosa feudi acquisitione, vel constitutione, et ad exemplum querelae inofficiosae donationis, moribus inuenta, vnde nullum inuenio dubium, cur non querelae inofficiosae feudi acquisitionis, aut constitutionis, nomine insigniri queat. Ad fundamentum ipsius requiritur, vt actor exprimat, se defuncti feudum inofficiose acquirentis aut constituentis, heredem

Actio, qua legitima ex feudo petitur, est personalis,

et quaerela inofficiosae feudi acquisitionis, aut constitutionis vocari potest,

fundamentum ex parte actoris, redem esse, et quidem talem, cui legitima debetur, numeri heredum mentio iniicienda, acquisitio, vel concessio feudi cum praeiudicio legitimae connexa, commemoranda, quantitas allodii, tempore mortis defuncti extans, addenda, indeque promanans *et rei commemoratur,* laesio legitimae alleganda. Dein ex parte rei asserendum, ad ipsum feudum inofficiose quaesitum, tali modo peruentum esse, vt re- *pariter et petitum.* scissionem negotii inofficiosi pati debeat. Tandem vel tota legitima, vel eius supplementum, et quidem pro re nata, vel in *hac actione non vtitur filius, si peculiaribus casibus legitimam petat.* nummis, vel in parte praedii petitur. Hac delineata actione et filius recte vtitur, si pater maximam partem bonorum in feudum cuidam concesserit, patre vero filium in legitima solum heredem faciente, vel feudum in praeiudicium legitimae filio debitae, refutante, aliter omnino agendum.

§. XLIII.

Vt promissi mei rationem habeam, circa finem Dissertationis, casus demonstrandi erunt, vbi legitima ex feudo inofficiose *Patrimonio post feudum inofficiose quaesitum, aucto, nulla legitima ex feudo debetur.* quaesito, peti nequit. Inter eos hunc non refero, quando post feudum inofficiose quaesitum, patrimonium eius, ex cuius bonis legitima aliquando debetur, auctum fuit, v. c. Iauolenus pater quatuor liberorum, 50000. Imperial. in comparationem feudi impendit, retinens 10000. Imper. tanquam allodium. Ante obitum acquirit adhuc 10000. Imper. hinc mortuo eo adest allodium 20000. Imper. laesio legitimae amplius non apparet, ideoque nec feudum inofficiose quaesitum. Euentus potissimum respiciendus, quem quantitas allodii, tempore mortis extans, de- *Obiicitur, quod semel comparatione feudi legitima laesa fuerit* monstrat. Dubium inde emergit, quod semel comparatione feudi legitima laesa, proinde accessio patrimonio postea contingens, laesionem non reparet, sed augmentum legitimae efficiat. Exemplo igitur allato 70000. Imper. summam constituere, vnde legitima iudicanda, itaque haec in quantitate 23333. Imp. et octo grossis consistere, et vi consequentiae ex feudo adhuc in supplementum legitimae 3333. Imper. octo grossos, deberi videtur. Verum enim vero, dum in actum inofficiosum inquirendum, duo tempora coniungenda, actus gesti sc. et mortis defuncti, qui legitimam relinquere, obstrictus est. Quo facto elucescit, an laesio legitimae contigerit. Non enim simpliciter considerunda legitima iuxta vires patrimonii, prout hoc se exeruit tempore actus inofficiose celebrati, siquidem viuentis non est

hereditas

hereditas, ſed ad tempus mortis neceſſario reſpiciendum, et animaduertendum, an actus antea ſuſceptus laeſionem legitimae inuoluat? Non ex qualibet parte patrimonii legitima debetur, ſed ex toto patrimonio, hinc noua acceſſio poſt feudum inofficioſe quaeſitum, non prius in computationem venit, quam ſi totius patrimonii reſpectus habendus, id, quod poſt obitum fieri debet.

§. XLIV.

Agnitio acquiſitionis, vel conceſſionis feudi in praeiudicium legitimae tendentis, ius petendi legitimam tollit.

Talis agnitio autem non ſtatuenda quando pater circa feudum filii inofficioſe quaeſitum ſimultaneam inueſtituram impetrat, eiusque renouationem petit.

Meliori igitur iure contrariis legitimae ex feudo petendae, annumeratur, ſi is, qui legitimam petere valet, acquiſitionem, vel conceſſionem feudi in praeiudicium legitimae tendentem agnouerit *L. 6.* ibi: *ſi voluntatem eius non agnouiſti C. de inoffic. donat.* et vnum, idemque eſt, ſiue agnitio viuo feudum inofficioſe acquirente, aut conſtituente, ſiue mortuo facta fuerit, quod enim quis ſemel agnouit, illud poſtea reuocare nequit *l. 4. C. de non num. pec. l. 9. ff. de negot. geſt.* An vero termini agnitionis defendendi, ſi filius circa feudum inofficioſe quaeſitum, patri inter ſimultanee inueſtiendos locum tribuerit, et hic coniunctam manum impetrauerit, eiusque renouationem poſt obitum filii petierit? Vitium acquiſitionem feudi comitans, iuri, quod Vaſallus in feudo acquirit, impedimento non eſt, vnde et ius in feudo inofficioſe quaeſito Vaſſallo competens, in ſe ſpectatum nulli vitio obnoxium, nec ab alterius feudi iure differt. Ex iure Vaſalli dimanat ius ſimultanee inueſtiti, et ad illud ſe refert, hinc ſimultanee inueſtitus, dum ius ſuum viuo et mortuo Vaſallo perſequitur, huius ius ratum quidem, et ſtabile agnoſcit, verum quale vitium Vaſallus feudum acquirens, contraxerit, illius ſimultanee inueſtitus rationem non habet, nec ipſum tangit. Ex quibus praemiſſis concluſio nunc fluit, quod pater coniunctam manum circa feudum inofficioſe quaeſitum, impetrans, vel eius renouationem mutatione in manu ſeruiente contingente, petens, agnitionem acquiſitionis feudi inofficioſe factae, minime ſuſcipiat. Neque haec animaduerſio ſuperflua eo cenſenda, quum parens ſimultanee inueſtitus poſt obitum filii Vaſalli improlis ex coniuncta manu toto in feudo ſuccedat, itaque ſuapte legitima ceſſaret, pater enim ſimultanee inueſtitus non ſemper filio ſine deſcendentibus defuncto ſuccedit, fieri poteſt, patri alium ſimultanee inueſtitum, in ordine ſuccedendi praelatum eſſe. Vnde caſus omnino concipiendus, vbi ſucceſſio in feudo poſt obitum

filii, ad patrem ſimultanee inueſtitum non ſtatim deuoluitur, adeoque termini habiles legitimae ex feudo petendae, adſunt.

§. XLV.

Ob ingratitudinem ceſſat legitima ex feudo petenda.

Heredi legitimam ex feudo petenti, talis ingratitudo, ob quam exheredari potuiſſet, recte obiicitur *Nou. XCII. cap. I. ſ. 1.* legum auxilia minus apte inuocat, qui contra illarum praecepta peccauit *l. 37. in fin. de minor.* et male meritus publice, vt exemplo aliis ad deterrenda maleficia ſit, etiam egeſtate laborare debet, ait TRYPHONINVS *l. 31. pr. ff. depoſit.* Et licet poſteriori iure in *Nou. CXV. c. III. et IV.* extante, diſpoſitum ſit, ingratos non tantum expreſſe exheredandos, verum etiam cauſam ingratitudinis in teſtamento exprimendam eſſe, tamen, quae in *Nou.* poſteriori de teſtamento ſpecifice ſancita fuerunt, non trahi poſſunt ad actus inter viuos, veluti donationem, acquiſitionem, conceſſionem feudi, per quam ingratus a legitima excluſus videtur. Atque ius nouum et correctorium, quod in *cit. Nou. CXV.* reperitur, eo minus extendi poteſt, quo magis inter donationem, acquiſitionem, conſtitutionem feudi, heredi legitimam auferentem, vel minuentem, et exheredationem non parua apparet differentia, vbi illic heres ab inteſtato ſaltim honoroficum heredis nomen ſaluum retinet, nec ipſius aeſtimatio ita laeditur, vti per exheredationem. B. SCHVBERTH. quidem in Diſp. ſaepius allegata, *ſ. XXXV.* vrget, quod heredem ingratum faciant et mores, et nominatio cauſae ingratitudinis in teſtamento expreſſa, quodque omnis exhereditatio tacita et praeteritio reprobetur, tamen haec omnia tantum conſideratu digna ſunt, quando de vltima voluntate, minime vero, vbi de actu inter viuos ſermo eſt. Conſentit nobiſcum Magnificus BAVER. c. l. §. *XXVIII.* Tandem legitimam ex feudo petendam remouet quinquennii mora, cuius curſus poſt mortem feudum inofficioſe acquirentis, vel conſtituentis incipit *l. 34. in fin. C. de inoffic. teſtam.* cum immodicarum donationum querela ad ſimilitudinem inofficioſi teſtamenti, legibus introducta fuerit. *l. 9. C. de inoffic. donat.* Huius praeſcriptionis et merito ad Saxoniam noſtram facio extenſionem, *Conſtit. ined. II.* enim actionis, qua legitima petenda, mentionem non iniicit, hinc remedio iuris communis hoc caſu praeſcripto, repudium non factum, potius ipſius vſus tacite conſeruatus, retentusque, cenſetur.

Nou. 115. c. 3. et 4. explicatur.

quinquennii mora remouet legitimam ex feudo petendam.

quae praeſcriptio ad Saxon. El. quoque trahitur.

T A N T V M.